737. 3 vol. in-1

bas.

SUPPLÉMENT.

dario pittorico, del P. Orlandi, con notizie
uarienti. *Vener.* 1753. in-4°.

e générale des Conciles généraux et particuliers
ar Richard. *Paris*, 1772. 5 vol. in-4°. v.

en et le Nouveau Testament, représentés en ci
nts Tableaux, d'après les dessins de Raphaël, et
ris, 1763. in-fol. v.

le, avec un Commentaire, par Carrieres. *Pari*
750. 6 vol. in-4°. bas.

du goût et de l'odorat. *Paris*, 1755. in-8°. fi
eau.

au Cours de Mathématiques, à l'usage de l'Arti
rie et du Génie, par Belidor. *Paris*, 1725. in-4
. v.

otion générale et particulière de la France, c
oyage pittoresque. *Paris*, 1781. 40 livraison
vol. gr. in-fol. fig. br.

descrittione di Malta, con le sue antichita, d
. Abela. *Malta*, 1647. in-fol. v.

ducation civile, par Garnier. — Traité de l'origi
Gouvernement français, par Garnier. *Paris*
65. in-18. bas.

sur les honneurs et sur les monumens accord
x Savans, pendant la suite des siècles, par Tito
Tillet. *Paris*, 1734. in-12. bas.

universelle des Hommes illustres, depuis le sièc
Léon X jusqu'à nos jours. *Paris*, 1787. 49 cahier
-4°. fig. br.

onvéniens du Célibat des Prêtr

DE APOPLEXIA

PRÆSERTIM NERVEA

COMMENTARIUS

FRANCISCI ZULIANI

MEDICI BRIXIENSIS

Editio Secunda

PLACENTIÆ

EXCUDEBAT MAURUS DEL MAJNO

Superioribus annuentibus

MDCCCVI

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

FRANCISCUS ZULIANIUS

MEDICUS BRIXIENSIS.

Queruntur homines passim, apoplexiam in præsentia plus, quam anteactis temporibus sævire in humanum genus. Hoc autem, quod malo quodam fato non videtur inficiandum, etiam Medici quidam haud parvi faciendi affirmare non verentur. Quid plura? Nunc apoplexia grassatur adeo, quibusdam præsertim locis, ut, nec injuria, visa sit epidemica. Quod siqui dubitent, an apoplexia vere sanguinea evaserit hoc sæculo crebrior, id de nervosa negari nequit omnino. Certum enim est, magis hac, quam alia ulla ætate superiore generatim dominari nervorum morbos, inter quos haud raro maximus est apoplexia. Quæ quum ita comperiantur se habere, haud mihi videor improbandus, si quæ ægrotos invisens, ac sedulo observans, de hoc morbo collegerim, quæque de scriptis Auctorum nobilium decepserim, hoc commentariolo pro meis viribus exponam.

At mihi de nervea quidem apoplexia disserenti videbatur haud esse incongru-

um, siquid de sanguinea adderem, deque serosa: de quibus fateor sane, me dixisse plus, quam prius statueram; quum disquisitioni meæ neutra præcipue esset objecta. Haud tamen pœnitet. Quibusdam enim proderit forsan, si unus, et idem libellus præter illa, quæ speciatim ad nerveam apoplexiam spectant, ea quoque exponat, quæ ad cognoscendam, curandamque generatim apoplexiam apta sint.

Quin forte urgeret necessitas, in proprio capite quasdam spasmodicæ apoplexiæ causas exposui. Id tamen ideo præstiti, quod istæ causæ discriminentur nimis, ac nimis diversam exigant curationis methodum.

Alicui forte videbor arguendus, quod sim locutus diffusius de apoplexia ex vaporibus mephiticis oriente, quum de ipsa disseruerint quam diligentissime Scriptores plerique. At num in manibus omnium versantur illorum commentaria?

Inquirebam præterea aliquantulum diligentius de thermarum usu pro ea paralysi, quæ apoplexiam excipit quamcumque. Id enim pro aliquibus haud penitus inutile duxi. Postremo tandem, ut morem sigillatim gererem junioribus Medicis, nonnulla subdidi de vi electrica, deque ejus administratione, de quibus in præsens tot, ac tanta disserunt Phisici. Utinam labor meus, quicunque demum sit, aliquibus auxilietur ita, ut, quantum per me fieri potest, mortalium provehat commodum, vitamque proferat. Vale.

APOPLEXIÆ
PRÆSERTIM NERVEÆ
COMMENTARIUS

CAP. I.

De Apoplexia in genere.

1. Apoplexiam sicuti Authores multimodis vocant, ita multimodis quoque definiunt. Arduum quidem est morbos haud paucos recta definitione circumscribere; hæc enim complecti debet præcipua morbi symptomata, quibus ille possit distingui ab aliis morbis, atque dignosci. At difficile est paucis perstringere apoplexiæ symptomata; tum quia multiplicantur nimis et ex varietate causarum, et ex diversitate morbi graduum; tum quia ex iis plura aliorum morborum assimilantur symptomatibus. Haud ergo mirandum, si ab Authoribus variimode definitur apoplexia.

2. Plures itaque inter definitiones magis illæ videntur congruere, quas tradunt MORGAGNUS, atque SCHROEDERUS. Hic apoplexiam describens asserit esse *resolutionem, sive magnam imminutionem virium nervosarum, quoad mentis universum cum suo corpore commercium, aut quoad omnes fere corporis functiones anima-*

les, vitalibus sæpe manifestius perseverantibus (a). Hæc autem definitio cuilibet apoplexiæ gradui videtur accomodata. MORGAGNO vero apoplexia visa est *intimorum, qui in cerebro fiunt, motuum (cum videlicet movemus, sentimus, cogitamus) subita imminutio, tanta interdum, ut proxime ad cessationem accedat, aut in cessationem continuo transeat* (b); quæ quidem definitio plerisque arridet; alicui tamen difficultatem faciunt tum hujusmodi motus intimi, tum ratio, præcipue vero celeritas summa, qua illi imminuuntur: hanc enim haud satis congruere credunt ei apoplexiæ, quæ lente, ac gradatim succrescit.

3. Tres interim apoplexiæ gradus observarunt Medici. HOFFMANNUS (c) eum vocat maximum gradum, in quo cum sensibus, motibusque animalibus vitales simul, omnesque totius corporis actiones uno impetu prosternuntur: medium, qui tollit sensuum, motuumque voluntariorum, atque rationis usum, non autem vitales prosternit actiones; minimus, ait, iisdem ac secundus prodit se notis; differt tamen, quod breviori tempore depellatur. Alii vero tertium hunc statuunt gradum quando ægri procidunt motu voluntario ex parte abolito, sensibus tamen vel omnibus adhuc integris, vel saltem quibusdam tantum amissis.

4. Causæ efficientes eam, quam cum SCHROEDERO innuimus supra, resolutionem, imminutionemve virium nervosarum etc., plures esse possunt; internæ ex parte, ex parte externæ; sensibiles ex parte, ex parte insensibiles, quasque tantum assequi possumus conjectando.

(a) *Dissert. De Apoplexia e Præcord. vitiis orig.*
(b) *De Sedib. et Causis Morb. Epist. II. n. 5.*
(c) *Med. Rat. Syst. Tom. IV. Part. IV. Cap. I.*

5. Sensibiles inter offerunt se se sanguis, et serum, quum cerebrum occupant, uti plerumque ostendit cadaverum sectio: consulto enim externas causas hic omitto violentas, aliasque internas, uti abcessus, tumoresque varii generis cerebrum, cerebellum, medullamve oblungatam occupantes. Hinc binas morbi species distinguebant, sanguineam nempe, atque serosam.

6. Ast hæc divisio plerisque improbabatur. Objiciebant enim præter sanguineam, et serosam alias plures observari apoplexiæ species: hujusmodi præterea divisio videbatur inutilis saltem quoad curationem morbi, quoniam certa desunt signa, quibus dignosci possit utrum a sanguine, an a sero exoriatur compressio. Addantur duo; quæ distinctionem, quam supra innuimus, haud parum impugnare videntur: primum nempe, quod in cerebro plurimorum ex apoplexia vita functorum, nec sanguinis, nec seri observabatur aut in vasis nimia congestio, aut e vasis effusio, neque alia inveniebatur morbida cerebri immutatio: alterum tandem, quod vasis sanguine interdum, aut alio humore nimis exhaustis mortalis non minus exoriebatur apoplexia.

7. Signanter vero apoplexiam primario serosam negaverunt plerique ante recentiora tempora, ut refert MORGAGNUS (d). MALPIGHIUS autem irridet, et BERGERUS eos improbat, qui serum incusant tanquam apoplexiæ causam, ut meminit TRALLES (e). Neque putant serum cerebro inventum apoplexiam gignere primario serosam: asserunt enim ex cursu sanguinis perturbato in vasis cerebri, et ex in-

(d) *Epist. Anat. Med II. n. 7.*
(e) *Usus Vesicant. Salubr. et Noxius in Morbor. medela Sect. Poster. pag. 20.*

terceptο ejus in venas reditu, serum ab ipso sejungi, illucque trudi, atque coacervari. Id autem, ajunt, observari in celebri experimento LOWERIANO: obstricta enim vena sive jugulari, sive crurali, sive cava infra diaphragma, hydrops semper exoritur cerebri, crurisve, abdominisve.

8. Hisce etiam temporibus PORTALIUS clarissimus (f) negat apoplexiam existere vere serosam; asseritque hanc effici a sanguinea, sive morbum utrumque ab una gigni, eademque causa. Assumptum probare conatur observationibus. Sectis enim eorum cadaveribus, qui e vita decesserant omnia prodentes signa apoplexiæ lymphaticæ, purum sanguinem unice invenit, aut e vasis cerebri effluxum, aut in ipsis congestum; nihil vero limphæ, aut seri. Has inter observationes duæ, quæ sequuntur, institutæ fuerunt in duobus cadaveribus apoplecticorum, quorum primus jurisprudentiæ, alter militiæ vacabat.

Jurisconsultus morte correptus est omnia proferens signa apoplexiæ lymphaticæ: ipsi vero, vena numquam contusa, emetica, purgantia, vesicatoria exhibuere. Sectum fuit cadaver post horas a morte quadraginta; evanescente enim post mortem gradatim pallore, facies ad naturalem colorem rediit, atque vividissimo rubore subinde tincta apparuit. At quo color fiebat vividior, eo magis augebatur cadaveris calor, qui post horas quoque viginti quatuor adhuc persentiebatur; hinc cadaveris sectio post horas quadraginta protrahebatur (1). Hanc tandem

---

(f) *Giornale per servire alla Storia della Medicina di questo secolo Tom IV. pag. 49. Venezia 1787.*

(1) *Præter hoc cadaver alia quoque alibi memo-*

perficientes, ut cautius agerent, tentarunt plantam pedis utriusque variis incisionibus, e quibus effluxit protinus notabilis copia fluentis sanguinis ruberrimique. In Calvariæ cavo invenerunt sinus Crassæ Meningis, præcipue laterales atro sanguine distentos vel maxime; venæ tam duræ, quam piæ Matris, ac vasa, quæ per anfractus cerebri dispertiuntur, totusque tandem plexus Choroides sanguine tumescebant. Tota Cranii basis patuit sanguine referta e vasis effluxo. Contra vero cerebri ventriculi, neque, ut solent, humescebant, sed arentes omnino inveniebantur, neque potuit in toto cerebro quidquam aquæ reperiri. Itaque Jurisconsultus iste, dum signa proferret lymphaticæ, exquisite sanguinea moriebatur apoplexia.

Id quoque accidebat in eo, quem supra innuebam militiæ adscriptum deportabatur iste domum apoplecticus; signa autem erant apoplexiæ lymphaticæ. Hinc suppeditabant emetica: consultus vero PORTALIUS jussit contundi jugularem: æger subinde levabatur. Accitus alter Medicus sanguinis emissionem improbavit, monuitque applicanda esse vesicatoria; hinc æger comatosus evasit, et nocte sequenti mortuus est. Dissecto Cranio, cavitas illa atri sanguinis copia scatebat; multum quoque concreti sanguinis inveniebatur qua lo-

---

rat Portalius, *inter qua illud memorat cujusdam Cappucinorum Monspessulaniensium Superioris vera apoplexia sanguinea perempti, cujus cadaver, quum diu calens observarent, serius tumulo dederunt. Observations sur les effets des Vapeurs Méphitiques dans l' homme ec., avec des Observations sur les effets des plusieurs Poisons ec. pag. 8. Diligentissimus quoque* Morgagnus *illud adnotavit, quod in quibusdam cadaveribus apoplecticorum calor post diem a morte servabatur, tempore prasertim hyemali.*

bi cerebri, ac cerebelli dividuntur; meditullium spinalis medullæ, præcipue ad collum sanguine rubebat vel maxime. Ast in ventriculis cerebri eam tantum lympham detegebant, quam in quibuscunque cadaveribus observare solemus.

9 Hisce observationibus, aliisque innixus PORTALIUS statuit in quibuscunque apoplexiis, quas dicunt lymphaticas, secandas esse jugulares, pedumque venas; asseritque hujusmodi sanguinis emissiones re ipsa mirum in modum ægros juvasse. Inter cæteros, quos memorat, describit apoplecticum quemdam athleticæ constitutionis, ætatis annorum quinque supra quinquaginta, qui stratus cubili inveniebatur pallens facie, spumas agens ex ore, prodensque pulsus satis exiles. Curabant eum emeticis, atque stimulantibus: hinc res in pejus ruebant. Hanc curationis methodum PORTALIUS improbans repetitas jussit venæsectiones, quibus factum est, ut æger duabus hebdomadis convaluerit omnino. Quare clariss. citatus Auctor observationibus innixus tum cadaverum, tum ægrorum, quos dicta methodo ad sanitatem perduxit, absolute existentiam negat apoplexiæ, quam serosam vocant, sive lymphaticam.

10 At mihi haud quidem videtur ex his inquisitionibus, observationibusque Auctoris optime meriti inferri posse, nullam omnino dari apoplexiam mere serosam. Do libens, quod omnino incerta sint apoplexiæ lymphaticæ signa in suis ægris a PORTALIO observata; præcipue cum vigentes, imo et athleticæ constitutionis illos fuisse colligatur. Do quoque persuasus omnino, quod sæpe serum e vasis cerebri extrudatur a nimio sanguine, qui illud urget: tunc autem optimam duco PORTALII methodum: ast extant non paucæ observationes, quibus videtur luculentissime evinci apoplexiæ unice serosæ existentia. Sectis enim plerisque apoplecticorum cadaveribus

aquam cerebrum occupantem invenerunt, quin ulla vasorum sanguiferorum appareret distensio, ex qua illa aquæ coacervatio gigneretur.

11. Has inter observationes sufficit meminisse trium apoplecticorum, quos refert MORGAGNUS (g), in quorum cerebro aqua pura inveniebatur absque ulla vasorum ex sanguine distensione. His addi meretur apoplecticus, quem RONDOLINUS (h) clar. Medicus Tergestinus observavit. Convaluerat ille nuper a quibusdam artuum inferiorum ulceribus, quæ lympham guttatim demittebant: idem repente apoplecticus evasit, paulloque post vita decessit Ejus Calvaria sero redundabat, dum vasa sanguifera omnia encephali maxime pallentia erant, vixque visibilia. Quis ergo neget hujusmodi apoplexiam a lympha primario productam? Quomodo enim vocari aliter posset? an forsan hydrops cerebri, uti vocatur hydrops pectoris, quum ipsum ab effluxo, coacervatoque sero occupatur? At lis de nomine esset. Serum pectore accumulatum mortem gignit nimis comprimens, irritansque pulmonem; capite vero coactum cerebrum comprimens, irritansque.

12. Insuper cur non dicemus unice serosam, licet ex metastasi, eam apoplexiam, quam STOLLIUS observavit? *Complures*, ait Ipse, *repente moriebantur, cum ex febre acuta convalescerent, et cruribus adhuc essent œdematosis; si forte somno indulserant plus æquo, aqua enim ex inferioribus partibus subito ad encephalon decubuit* (i).

13. Quapropter Recentiores quidam gravissimi hanc divisionem apoplexiæ in sanguineam nempe, et serosam receperunt; tertiam tamen subdentes speciem, idest convulsivam, ad quas

---

(g) *Epist. an. Med IV. n. 6. 28. 30.*
(h) *Giornale per servire ec., loc. cit.*
(i) *Rat. Med. Part. III. pag. 430.*

reduci posse alias hujus morbi species arbitrabantur. Hanc convulsivam præsertim efficiunt insensibiles aliquando illæ causæ, ac conjecturis unicæ abnoxiæ, quas supra (n. 4.) indicabamus.

14. Quamvis autem aliquid disserere ferat animus apoplexia super convulsiva præsertim, sive *Nervea*; indicia tamen minus æquivoca attingam quibus sanguineæ, serosæque species dignoscantur. Hinc mihi patebit aditus aliquas subdendi animadversiones, quæ ad consuetam medendi iisdem apoplexiis rationem pertinebunt.

CAP. II.

Apoplexiæ Sanguineæ indicia, ejusque causæ aliquæ: additur quoque de apoplexia ex sanguinis dissolutione, fluidique elastici extricatione.

15. Sanguinea facilius corripiuntur apoplexia, qui sunt natura sanguinei, pingues, brevesque collo; qui caput produnt amplum, faciemque, oculosque sæpe rubentes: qui virilem agunt ætatem, atque senilem; qui vitam ducunt laute, a curis semotam quibuscunque, atque laboribus. Ii procul dubio addantur, qui stuporibus, ac resolutionibus obnoxii sunt, quin causa adsit manifesta; qui sanguinis evacuationibus deficiunt, quibus jampridem assueti fuerint; qui incalescentibus facile humoribus præditi sunt: quique nativa cerebri debilitate laborant; hac enim de causa a Patre in Posteros diu sævientem observamus apoplexiam. Quodlibet anni tempus humidum, tepensque vires suppetit huic morbo, cui paralysis unius lateris frequenter accedit.

16. Hic autem morbus adoritur raro, quin signa præcedant. Quare *prælunga nonnunquam*

habere initia olim affirmavit ARÆTEUS (k). Plerasque apoplexias *sensim genitas*, quæ tamen subito increverunt, asserit TISSOTIUS (l); nullumque morbum fortasse prænuntia antiquiora habere, quam apoplexiam idiopathicam contendit THYERIUS (m). Mihi vero pluries visa sunt hujusmodi prænuntia paucis tantummodo diebus morbum præcessisse.

17. Solent ergo morbum sæpe præcedere ea; quæ sequuntur fœnomena; nimirum vertigines, cephalalgiæque frequentes; hæmorrhagiæ narium, mentis segnities, et aliqua evanescentia; memoriæ labes, inter legendum facilis, et frequens a linea aberratio; responsiones implicatæ; ante oculos scintillæ micantes, maculæque vario-coloratæ vagantes; mox oculi unius, mox utriusque caligo, et auditus momentanea cessatio: præterea lacrymæ spontaneæ; somnolentia, aut somnus nimis placidus, aliquando tamen et implacidus valde; aurium sussuratio; lingua fugaciter balbutiens; vox tremula; membrorum gravedo, eorumque torpor mox ad unum, mox ad alterum latus, tactus aliqua obtusio; ad scriptionem tarditas, pedumque vacillatio: partiales tandem, licet levissimæ, momentaneæque paralyses; repentinus ex membro aliquo frigoris sensus; incubus frequens, dentium stridor inter dormiendum, doloresque sensibiles, licet fugacissimi, circum præcordia. At quibus instat terribilis hic morbus, imprimis stomacho sæpe laborant, intestinisque; ac sæpe de nausea conqueruntur, de borborygmis, desidendique conatu; licet indigestionis abfuerint causæ, aliæve colluviei absint indicia. Hinc fit fortasse, ut

---

(k) *De Caus. et signis Diuturn. Morb. cap. 7. p. 66.*
(l) *Epist. var. argum. pag. 56.*
(m) *Medecine Experimentale pag. 145.*

apoplexia erumpat, dum quis nititur alvum deonerare: nisus enim hujusmodi praeviae superadditus dispositioni determinat ultimo apoplexiae invasionem.

18. Sed nullis etiam praecedentibus signis aliquando hic morbus corripit repente, praesertim si ex sanguine ob nimiam copiam, impetumque e vasis effluxo exoriatur; tunc autem subitus, vehemensque capitis dolor saepe antecedit. Qui hac posternuntur apoplexia faciem produnt fere sanguineam, praesertim post aliquas ab invasione horas, aliquando tamen et pallidam ad mortem usque; oculos aliquando languidos, aliquando rigentes, modo clausos, modo apertos, os hians, et aliquando spumas agens; pulsus fere elatos, vehementesque, qui tamen morbo crescente languescunt: at languescunt, ut plurimum, etiam iis, qui melius se habentes vitam protrahunt; nervi enim paralysi correpti destituuntur viribus; hinc et arteriae, quarum musculares tunicae filamentis nerveis sunt praeditae. Respiratio aliquando satis libera (2), aliquando stertorosa. Si vero augescat morbus, graves aeger trahit ronchos: accedunt tandem motus convulsivi, et paullo post interitus.

19. At quoad pulsum, libet hic animadvertere, illum aliquando perexilem esse ab inva-

---

(2) *Imo naturalis omnino est respiratio aliquando licet apoplexia sit validissima. Naturalis quidem observata fuit a* Morgagno (*Epist. 2. n. 13.*) *in quadam muliere apoplectica, quae paucas post horas obiit. E vita pariter decessit die quarta morbi apoplectica, cujus meminit* Verattius; *ejus tamen respiratio, ut ipse subdit*, per totum morbi tempus fuit parva quidem, et rara, sed tamen ordinata, et aequabilis. *Comment. Inst. Bonon. T. II. P. I. p. 184.*

sione ad mortem usque, præsertim quum satis valida sit hæc apoplexia. Adnotavit MORGAGNUS (n) inter alios apoplecticum quemdam sanguineum, subpinguem, et ætate mediocri ita pulsibus adventante morbo ad mortem usque defecisse, ut ne Medici quidem venæsectionem imperare auderent. Ego vero observabam Præsbyterum quemdam, qui vita post triduum decessit apoplexia vere sanguinea, pallere ingruente morbo, ejusque pulsus adeo evanescere, ut tantum post horas septem, aut octo sensu deprehenderentur. Claris. PANZANIUS (o) vidit hominem quemdam pallere repente, gelu, et convulsione corripi, solo supinum prosterni, pulsumque perdere omnino: quum vero pulsus surgeret subinde, redibat vultus color, stertorosa apparebat respiratio, aliaque omnia æger proferebat vere apoplexiæ phœnomena.

20. Neque id absonum est a ratione: cerebro enim oppresso, fit iners reliquum corporis, sanguinisque motui impedimenta gignuntur. Hinc liquet quanam ratione actio cordis sive penitus extinguatur, sive suspensa syncopem efficiat: quæ quidem in mortem desinit, si perit omnino vis vitæ; si vero sit ipsa potis subortas superare resistentias, cerebro tamen adhuc oppresso: insigniora tunc conspiciuntur apoplexiæ phœnomena. Hujusmodi autem syncope est symptoma, ut ita dicam, causæ apoplexiæ.

21. Ejus causa proxima efficitur ab imminuto, sublatove penitus commercio inter cerebrum, aliasque saltem corporis partes, quas ad sensus, motusque voluntarios prædestinavit natura. Hæc autem causa proxima gignitur a sanguine, qui in vasa cerebri, cerebelli, medullæ-

---

(n) *Epist. anat. Med. LX art.* 4.
(o) *Giornale per servire etc. loc. cit.*

ve oblongatæ, sive meningum congeratur, vel ab ipsis disruptis exturbetur.

22. Sed plures ejusdem morbi remotiores existunt causæ a Medicis recensitæ, quas silentio præteream. Quasdam tamen alias hic libet recensere, quæ minus vulgatæ videntur; et primum eam memorabimus, quam affert Celeb. WALTHERUS (p). Animadvertit enim sanguinis circuitum in cerebro peculiari quodam modo peragi; neque enim sanguis ab arteriis in cerebrum impulsus, a venis immediate ad cor revehitur; sed a venis exceptus cerebralibus internis in sinus inducitur duræ Matris, a quibus per venas externas ad cor redit postremo. At quisque novit, præsertim post WALTHERI, et MONROI animadversiones, sinus duræ Matris dilatari non posse: quare siqua plethora cerebro adsit, vasa cerebralia urgebit, eadem distensura, vel, ut sæpe accidit, disruptura.

23. Liceat quoque hic quærere utrum nec fene inter has causas sæpius, quam communis ferat opinio, recensenda sit convulsio? Hoc autem loci neque de hypocondriacis loquor, neque de hystericis, neque tandem de iis, qui sua natura sunt convulsionibus obnoxii. Id enim quærebam de iis tantummodo, qui, quum optima corporis fruantur compage, viribusque valeant, ad veram tamen propendunt apoplexiam: ac de ea convulsione mihi tantum est sermo, quæ una cum aliis causis habeat sanguinem ita disponere, ut majore impetu in cerebrum actus, illuc congeratur vasa distendens, disrumpensve. Mihi videntur profecto convulsiones haud raro sanguineam præcedere apoplexiam. Observavi enim, nec semel, homines satis vigentes, nun-

(p) *Nouveaux Mémoires de l' Academ. Roy. des Scienc. et Beaux Lettr. an. 1782. Berlin. 1784.*

quam convulsos, sed ad apoplexiam sua propria compage pronos, quos insultus quodammodo apoplecticus adoriebatur: vena ipsis contusa statim valebant, ita tamen, ut per diem integrum urinam passim dejicerent ad instar aquæ purissimam; hoc est convulsivam. Neque ex alia, ut puto, ratione THOMAS WILLISIUS (q) asserebat raro plethoram tantum, sanguinisque acrimoniam gignere hæmorrhagiam, sed spasmodicos insuper motus accedere, qui sanguinis impetum ad caput dirigant. A spasmis item aliarum partium repetit cum SCHWENKE GATTENHOFFIUS (r) hæmorrhagiarum plerumque rationem.

24. Convulsiones ergo subsequi videtur saltem haud raro vera sanguinea apoplexia, et ita quidem, ut morbus aliquando videatur originem a nervis duxisse. Id autem pendet ne semper ab incipiente cerebri compressione? an idipsum innueret principium quoddam subtilius, quod nervos habeat irritare, humorumque massam inflammare, et expandere?

25. Ast hic morbus nimis metuendus homines corripit sæpe, qui ad summum sanitatis gradum pervenisse videbantur. Quare videntur functiones quoque ipsæ vitales nimis auctæ, vigentesque hanc aliquando efficere apoplexiam. Illæ enim sanitatem quandoque promovent ultra eum gradum, quem ferre possit animalis constitutio. Hinc diathesis inflammatoria; præsertim si aerem dominentur frigus, serenitas cœli, siccitas, aquilonesque: vel quum adsit aer quomodolibet inquinatus, aliæque invisibiles corporis dispositiones; humores ad rarefactionem, et ad alchalescentiam jam proclives excitantur ad

---

(q) *Pharmac. Ration. P. 2. S. 2. Cap. 2.*
(r) *FRANK Delect. Opusc. Med. Vol. 3. p. 206.*

cum motum intestinum, quem aliqui spectatissimi Viri suspicantur veræ apoplexiæ sanguineæ causam.

26. Hanc vero suspicionem ex observationibus ortam opinor adauctam ex iis, quæ de novo recentiores disserunt super caloris, motusque vitalis principio. Neque per tempus, neque per vires liceret diligentius perpendere hujusmodi doctrinam, quam quidem in nonnullis variaverunt Auctores. Videtur quidem super illam facilius aliquorum saltem morborum, apoplexiæ præcipue, adstrui posse theoriam. At quidquid de his judicandum sit, pro certo habendum, quamdam existere apoplexiam sanguinis dissolutione exortam, *fluidique elastici* extricatione: quæ res motum procul dubio significant sanguinis intestinum. De hac interim apoplexia nobis hic habetur sermo: neque tamen prætermittemus animadvertere, quæ haud improbabiliter innuant intestinum sanguinis motum, omnes forte præcedere sanguineas apoplexias, aut plures saltem, quam communis ferat opinio.

27 Plures itaque apoplexias, quæ ex sanguinis dissolutione, fluidique elastici evolutione efficiuntur, observarunt Medici: imo in sectis hujusmodi apoplecticorum cadaveribus, quæ adhuc calorem, multumque sanguinis fluentis, spumosique præferebant, nullam deprehenderunt aliquoties materialem morbi causam, præter aerem extricatum, quem quidem in venis cerebralibus, jugularibus, Cavis huc illuc inveniebant cumulatum; sæpius tamen invenerunt et in abdominis, et in thoracis cavitate cruentum serum: viscera aliqua liventia; in cavo autem Calvariæ vasa meningum, ventriculosque cerebri atro sanguine, spumosoque turgere.

28. Constat jam ex sanguinis, aliorumque humorum animalium putrefactione, atque ex institutis in vacuo experimentis aerem, et qui-

dem magna copia, principiis sanguinem constituentibus admixtum esse. Tunc autem sensibus comprehendi solum potest vis hujusmodi *fluidi elastici*, quum putredo, aut fermentatio naturalem humorum mixtionem pervertit, aut quum exterioris aeris minuitur satis compressio: quæ omnia sanguinis intestinum motum, quem supra indicabamus, promovent satis, augentque. Lethalis autem est fere hujusmodi aeris extricatio. Animalia enim pereunt anhela, convulsa imo et apoplectica, si in eorum venas aliquid aeris arte invehatur: quid ergo molietur magna fluidi elastici quantitas haud raro in eorum cadaveribus observata, quos hæc peremit apoplexia?

29. Utilitatem afferet cognitio symptomatum, quæ apoplexiam hanc ex sanguinis dissolutione præcedunt, atque illorum, quæ eam comitantur in ægro adhuc vivente. Facilior saltem ex iis redderetur forte morbi difficillimi, ac fere semper lethiferi diagnosis. Sed ex observationibus, quas de hac apoplexia adnotarunt Medici, vix quidquam colligi potest. Mihi vero huc venit tantummodo adnotandum, quod apoplexiam, quæ repente peremit rusticum quemdam Clarensem mense Octobris ann. 1777., præcesserant notabiles lassitudines, insolita ad sudorem proclivitas, et signa vitiatæ in ventriculo digestionis: adnotandum quoque est, eum quatuor abhinc mensibus longa laboravisse dysenteria, a qua tamen convaluit penitus. Hujus apoplectîci cadaver paucis post mortem horis magnum sanguinis dissolutionis, aerisque interni extricationis exemplum suppeditavit. Toto enim corporis habitu immaniter tumescente dominabantur crassiores vesicæ, quæ serum, et sanguinem solutum, ac putrescentem coacervabant: Quacunque parte secabatur cellularis, velut data porta aer ruebat; ater, fluensque erat

sanguis, eoque turgebant valde meningum vasa, sinusque Crassæ, ut mihi retulit Chirurgus. Eadem quidem incommoda, si dysenteriam excipias, mortem præcesserunt repentinam Æthiopis (s), et eorum aliqua mortem Piscatoris (t), quorum historias descripsit MORGAGNUS.

30. Interim in sectis horum apoplecticorum cadaveribus observata præcipue fuerunt, quæ sequuntur; nimirum vasa omnia venosa, et sæpe, quod magis adnotandum, arteriosa quoque satis plena, sanguis fluens, spumeusque, et ex ipso *elasticum fluidum* extricatum, calor præterea admodum sensibilis, membrorum flexibilitas, oculique fulgentes, et pene viventis oculos similantes; quæ quidem per plures horas post mortem inspicimus in hisce cadaveribus, quorum exterior habitus turget sæpe, maculisque livescentibus fœdatur. Hæc autem omnia humorum inquinamentum, rarefactionem, et auctum eorum motum intestinum satis innuunt, putridam solutionem, imminutamque valde irritabilitatem (3).

(s) *Epist. V. art. 17.*

(t) *Loc. cit. art. 19.*

(3) *Congruere omnino videntur, quæ in hisce apoplecticis, eorumque in cadaveribus observamus phœnomena cum iis, quæ observantur in apoplexia ex opio, ex vaporibus mœphiticis, aliisque stupefacientibus venenis. Quæ enim in primis observantur, et in secundis deprehendebat* Portalius: *nimirum soporem, oris spumas, pulsum turgescentem, ac difficilem respirationem dum adhuc viverent: in eorum autem cadaveribus membrorum flexibilitatem, calorem haud mediocrem per plures horas superstitem inveniebat; fluenti, spumeoque sanguine vasa satis referta, oculosque fulgentes, nec ullo modo ob-*

31. Neque tamen inficiabor aerem e sanguinis massa extricari posse aliquando, atque in bullas coire, licet absint dissolutionis, atqne putredinis indicia, imo vero sanguis coagulatus adsit, ut post magnas sanguinis effusiones, se

---

nubilatos Op. cit Chapitr. V. p. 352. et seq. Nimis ne illuderem mihi, si has apoplexias majore tantum, vel minore; aut forte promptiore tantum, vel tardiore irritabilitatis læsione discriminari suspicarer? Et tanta phœnomenorum similitudo possetne innuere affinitatem aliquam causarum apoplexiæ, quam gignunt opium vaporesque mæphitici, ejusque, quam observamus ex sanguinis dissolutione, fluidique elastici evolutione? Quidquid autem de hac similitudine censeatur; nemo tamen persuadeat sibi, quod putem eadem omnino ratione curandos esse tum qui ex opio, et mœphiticis vaporibus, tum qui ex sanguinis dissolutione, fluidique elastici extricatione apoplectici evasere. Admissa etiam, quam supra innuebam, similitudine; ratio tamen medendi diversa quidem, aliqua saltem ex parte, esse debet. Me enim haud latet apoplecticos ex opio ex. gr. juvari ex emetico, quod aliis sæpe noceret apoplecticis, ut suo loco ostendemus: nec me latet inter phœnomenorum similitudinem diversas adesse rerum circumstantias. Rationi tamen magis consonum videtur, methodum curationis refrigerantem, atque rarefactioni sanguinis obstantem, quæ valde juvat apoplecticos ex opio, et ex mœphitide, magis accomodatum esse apoplexiæ, de qua hic agimus, quam aqua submersis, ut aliqui crediderunt. Submersi enim multis ante mortem horis frigent, nec post mortem sanguinem produnt rarefactum, dissolutum, aut spumescentem.

observasse LITTRIUS (u) affirmat. Ast in apoplecticis, de quibus hic agimus, præcipue vero in eorum cadaveribus, evidentiora habemus putredinis indicia: quare *fluidi elastici* evolutio videtur exorta ex humorum inquinamento, quod civit, auxitque putrida fermentatio, imo vero *fluidi elastici* extricata quantitas putredinis gradui videtur respondere. Hinc tum majora putredinis indicia, tum copiam aeris majorem in Piscatore, quam in Æthiope, quos observabat, deprehendit MORGAGNUS (x).

32. Nec una videtur mors, ex quo celer, atque subita sit, *fluidi elastici* evolutionem parere. Novi quidem observatum fuisse aeris evolutionem *sæpius in subito morientibus* occurrere (y), sed contra tum de repente, tum ex apoplexia pereunt, juxta WALTERII (z) præsertim animadversiones, qui aquis submerguntur: ab eorum tamen cadaveribus abest omnino aer extricatus: abest et ab eorum cadaveribus, qui de repente propter vulnera obiere. Ast absunt quidem et calor, et sanguis fluens, aliaque putridæ corruptionis indicia.

33. Aliis ergo causis, quæ plures esse possunt, diversæque, promovetur hujusmodi intestina sanguinis agitatio, et dissolutio; earum viribus, naturæque respondere debent phœnomena, quæ vel præcedant, vel comitentur, vel hanc apoplexiam subsequantur. Ex hisce causis aliqua quamvelocissime agens sanguinem rarefacit, suum perturbat circulum, vasorum omnium auget distensionem; quæ omnia minores ob re-

---

(u) *Histoir. de l' Acad. Roy. des. Sc. an. 1714.*
(x) *Loc. cit.*
(y) Ruysch. *apud* Morgagnum *loc. cit. art. 25.*
(z) *Noveaux Memoires de l'Acad. Roy. de Scienc. etc. Berlin 1784.*

sistentias majora præcipue minantur cerebro: hinc nullo modo prævisa erumpit apoplexia. Ad hunc modum agere possunt et quædam myasmata, et quædam atmospheræ vicissitudines, quæ præsertim validissimæ sint, ac repentinæ (4).

---

(4) *Omnes quidem norunt atmospharam, prout ferunt prasertim substantia, qua aeri dominantur, generatim in corpus humanum notabiliter influere; quas inter substantias electricitatem libet hoc loci recensere qua quidem vel maxime agere videtur, id licet negetur ab aliquibus, in corpus humanum, juxta tamen diversas aeris vicissitudines. Certis enim temporibus fluidi electrici tum major copia, tum plures vicissitudines, et quidem diu, dominantur atmosphara: hoc idem observamus quoque diebus quibusdam procellosis, licet barometrum vix, aut ne vix quidem immutetur. Quare, quum sive solo, sive aere major excitetur electricitas, ut ad aquilibrium ubique sistat; ipsa quaquaversum furens pergit, ea transmeans corpora, qua aditum patefaciant. At corpus humanum patet pra aliis fluenti electricitati, qua per poros pellis, forte per bronchiales vesiculas, maxime vero per nervorum extrema itve, reditve; oscillationes equidem excitans alternantes, donec aquilibrata quiescat. In his autem electricismi turbis vis ejus repulsiva agit, ut ita dicam, in cohasionis vim: hinc partes fluida ad motum cientur intestinum, rarefiunt, atque inflammantur: ex hac eadem actione solida extimulantur partes, unde motus augetur circulationis. Qua cum ita fiant, nonne ipsa quoque apoplexia exoriri potest in iis prasertim, qui aliis dè causis ad hunc morbum procliviores sint?*

Hac autem mala magis metuenda viden-

Et enimvero: cadavera apoplecticorum, quos observavit frequentes MUCAILLIUS (a) mense

---

tur, si itus, reditusve vaporis electrici forte etiam intensi nimis aliis praeterea conjungatur, ut ita dicam, vitiis sive atmosphaerae, sive corporis animalis. Quoad atmosphaeram enim notum est, quum copiosa oneretur electricitate, onerari etiam aqueis, utplurimum, vaporibus electricitatem vehentibus, adeoque aerem satis rarefieri, et saltem ex parte inelasticum fieri saepe: minus ergo premet externam hominis superficiem; ex quo indubia sanguinis rarefactio. Quoad homines vero; qui ad veram apoplexiam sanguineam proclives sunt, ii multis viribus, staturaque firma vigentes, sanguine abundant, oleoque animali, adeoque ea electricitate, quam nativam *dicunt ab aliquo quidem oppugnatam, ut videtur, injuria. In his rerum circumstantiis velut in unum conspirantibus nonne facillime exoriri poterunt rarefactio humorum, accensioque, nervorum irritamenta, atque inde apoplexia?*

Ponantur itaque electricitatis atmosphaericae augmentum, et major corporis humani electricitas, quam recensitae excitant atmosphaerae vicissitudines; ponantur aliae quidem noxiae qualitates, quibns electricitas, dum corpus animale penetrat, exquiritque, circumvestiri potest; et aliae tandem ponantur praedispositiones eorum, qui ad apoplexiam inclinantur; nonne satis explicari exinde possent etiam apoplexiae ex sanguinis dissolutione, fluidique elastici extricatione, et ejus phaenomena, quae tum in vivis,

---

(a) *Histoir. de l' Acad. Roy. des Sc, an. 1747. pag. 63. et segg.*

Decembris ann. 1747., cæruleas quasdam prodebant maculas satis amplas, aliaque indubia cor-

---

tum in mortuis observamus? Nimirum convulsiones in adhuc vivis, in eorum cadaveribus solutionem sanguinis, fluidi elastici evolutionem, fulgorem oculorum, calorem superstitem, membrorum flexibilitatem, facillimamque partium omnium putrefactionem? Hæc perpendant alii, judicentque: certissimum est tamen ab electrica materie nervos irritari, vimque ejus repulsivam ad motum provocare intestinum tum partes corporis fluidas, tum partium solidarum moleculas. Præterea notum est quoque ex vapore electrico calorem augeri animalem, et novissime perempti animalis carnes molliri, atque macerari; compertumque tandem est electricitatem ad alchalescentiam, dissolutionemque promovere animales substantias, ut res inflammabiles ad combustionem. Hinc observamus, quæ animalia vel naturali, vel artificiali icta sint fulmine, statim putrefieri, eorumque arterias adhuc sanguinis partem servare; quod certum est affectæ irritabilitatis argumentum.

At dices fortasse; apoplexiæ frequentiores sæviunt, quum venti meridionales dominantur aerem, qui tunc inelasticus, humescens, ac minus gravitans minus sensibilia prodit electricitatis phœnomena. Contra est tamen; quod nempe iisdem atmosphæræ constitutionibus major electricitatis quantitas aerem quaquaversum excurrit: excitata enim copiosa solo electricitas erigit humentes vapores, quibus Conductoris *vices agentibus ignota peragrat; adeoque efficax tunc quoque humana corpora urgere potest, utpote quæ novum electricum continuo admittunt vaporem, atque transmittunt. Accedit vero, quod status hujusmodi atmosphæricus duo*

ruptionis indicia. Adnotabat autem mercurium barometro per unum pollicem, quatuorque line-

---

habet efficere; primo evolvere potest electricitatem aeris propriam, de qua perapte disserit Cel. Beccaria *suis in Epistolis super electricitate naturali; secundo habet excitare electricitatem animalem, ut ajunt, innatam. Quum enim aer minus gravitet in corpus, cujus quoque extrema vasculosa laxantur humiditate, vires intrinsecus impellentes prævaleant, necesse est: hinc ex aucto attritu major excitabitur electricitas animalis; quæ minus quoque exhalabit, impedita ab humiditate perspiratione.*

Et revera, curnam vaporibus hisce quum sit atmosphæra impura, nostrasque frangat vires: nos tamen insolito velut æstu fervemus; quin hunc eundem caloris atmosphærici gradum thermometra significent? Nonne id accidit ex quo ab hisce aeris constitutionibus materies quidem vasis absorbentibus suppeditatur; verumtamen præclusa perspiratione difficilius e corpore exiliens diffunditur extrorsum electrica materies, quam hoc loci vocarent alii materiem forte caloris? Siquidem plerisque videtur probabile materiem utramque modificatione quadam discriminari tantum; re tamen vera in uno consistere igne elementari, quem pro variis ejus phœnomenis aut calorem dicunt, aut electricitatem. Hinc ecce, ut in atmosphæra, quam venti dominantur meridionales, enasci possit apoplexia a causis diversis conspirantibus, quas inter videtur electricitas quoque posse recenseri.

Rebus superius expositis subdi etiam posset, plures exoriri apoplexias ab Septembre labente ad veris usque æquinoctium, quam aliis mensibus: eo enim tempore juxta Clariss. Vi-

as de repente depressum fuisse; ex qua quidem atmosphæræ immutatione exortas deducebat frequentiores eas apoplexias.

---

rorum observationes Bertholon De L'Electricité du Corps humain en étát de Santé, et de Maladie Tom. I. pag. 107.; Horvath Physic. Particular. Dissert. III. pag. 388.), *electricitas frequentius tum magis extensas, tum diutinas exerit in atmospharam vires. Sed addi ulterius posset argumentum, quod probet electricitatem sic motam in corpus humanum sensibiliter influere; ex quo homines plerique, mutatione temporis ingruente, doloribus afficiuntur, distensionibus, facili sudore, diversisque velut in membra ictibus. Hæc enim phœnomena nec ab aeris pressione, neque ab ejus humiditate pendent; quum tunc barometrum sæpe deprehendamus immotum, aeremque, post procellam, humentiorem. Id autem confirmatur experientia; arte enim electrizati homines supradicti ea, quæ erumpente procella persentiunt incommoda.*

Quod autem dicebamus huc usque, innuit quemdam in corpore humano electricitatis excessum. Immutata vero aeris constitutione, aliisque subsequentibus electricismi vicissitudinibus, humanum corpus deonerari sua aliquatenus potest electricitate naturali; ut sæpe accidit æstivo præsertim tempore. Si enim aer egeat vapore electrico, quem e corpore humano hauriat; sæpe tellus eo tempore arens haud subito eam electricitatis copiam corpori potest suppeditare: imo tempore æstivo excitata animalis electricitas facilius in aerem diffunditur circumstantem nimis aperta perspiratione. Sed ex hujusmodi defectu electricitatis humanæ explicari possunt debilitas corporis, languor, putridæque solutiones; hinc et aliqua apoplexia.

34. At crebro dissolutionis causæ lento agunt gradu in partes corporis solidas, fluidasque: harum paullatim immutant statum, crasimque; ordinem motuum, formamque perturbant; secretiones, excretionesque impediunt: hinc velut præordinatur humorum degeneratio, et motus promovetur intestinus: quæ deordinationes, siquando aliqua causa superveniens accedat, licet admodum mediocris, augentur nimis, fluidum elasticum extricant, hominique vehunt lethalem apoplexiam, cui diu prædisponebatur. Et revera si rem diligenter expendas, quam sæpissime invenies apoplexiam subsecutam fuisse phænomena, quæ inquinamentum humorum, dissolutionemque jam significabant; ut sunt lassitudines, languores, sudores insoliti, nervorum spasmi, rubræ maculæ modo hanc, modo alteram corporis partem occupantes, eruptionesque *erysipelatodes*, quæ vix exortæ aliquando evanescunt. Vidi haud semel fugax erysipelas præcessisse apoplexiam; et paucis abhinc diebus in viro observabam hunc morbum, quem præcesserunt rubicundæ quædam maculæ satis amplæ, quæ mox frontem, mox genas, subinde super palpebras dominabantur; licet illi, ut mihi relatum est, contusa fuerit vena, superve-

---

His tamen non obstantibus haud mihi libet omnia hæc phænomena unice ab electricitate deducere; licet apud Gallos scriptum sit, plerisque plaudentibus, apoplexiam sanguineam ex ignis excessu, pituitosam ex ejus gigni defectu. Sed hæc adnotavi, ut Lector videat; an apoplexia promoveri possit ab electricitate, aut ejus vires augeri; et an sibi probabile sit, electricitatem aliis saltem causis, quæ multæ esse possunt diversæque, conjunctam influere in apoplexias posse.

nit satis valida apoplexia, quum dies maximos inter nimbos efflueret.

35. Hæc quidem probant ex motu sanguinis intestino, ejusque dissolutione plures saltem originem ducere posse apoplexias. Fatendum tamen est in plerisque apoplecticis, eorumque in cadaveribus sanguinem non inveniri nimis fluentem, neque satis turgentia vasa, iisque deesse omnino calorem superstitem, putrefactionemque, quæ saltem exoriatur cito: hæc autem phænomena semper apoplexiam consequuntur præsertim, quæ ex sanguinis dissolutione fit, fluidique elastici evolutione. At quæ discriminis hujus origo? Apoplexiæ hujusmodi speciene differunt omnino, an majori tantum, minorive humorum solutione, aut expansione? Hoc autem discrimen, siquidem existat, efficiturne a vi diversa ejusdem causæ; an a causarum diversitate? Haud equidem inficiabor plures diversasque causas posse dictum gignere discrimen: hoc tamen effici quoque posse videtur ab una, eademque causa, quum ipsa sive diversa intrinsecus donetur efficacia, sive diversas nanciscatur vires inter eas vicissitudines, quas in corpore animali potest subire. Namque nos in omnibus fere apoplexiis vere sanguineis humorum rarefactionem deprehendimus, atque accensionem: cur ergo quæ causa aliquando humores commovet, expanditque, eosdem aucta fundere nequibit, ac putrefacere? adeoque evadat apta ad ea producenda phænomena, quæ in apoplexia conspiciuntur ex sanguinis dissolutione, fluidique elastici extricatione?

36. Extant vera non pauca, quæ ex motu sanguinis intestino innuunt omnes enasci apoplexias vere sanguineas, ut in quadam adnotatione sua (b) videtur suspicari Clariss. PANZA-

---

(b) *Giornale per servire, ec.; T. IV. pag. 52.*

NIUS. Et enimvero nonne sanguinem satis fluidum in apoplecticorum cadaveribus adnotavit sæpe MORGAGNUS? Nonne eundem et satis rubrum observavit PORTALIUS in cadavere apoplectici jurisconsulti, quem (n. 8.) recensuimus? Nil quidem videtur, nisi motus intestinus, fluiditatem sanguinis in cadaveribus, servare, superstitemque calorem.

37. Præterquamquod norunt omnes apoplexiam vocari ab HOFFMANNO cerebri hæmorrhagiam. Verum nonne, quum juvenes, virique robustiores hæmorrhagiis quibuscunque laborent, solidorum coarctationem, fluidorum vero expansionem, accensionemque invenimus? Observatum est præterea, ut idem alibi adnotabat PANZANIUS (c), aliique, cujuscunque speciei hæmorrhagias, utplurimum, sævire mercurio barometri depresso, et in aerem dominantibus humiditate, calore, ac ventis australibus, in quibus hæmorrhagiæ quoque naturales ad morbum usque augescunt. Sed latet neminem tunc et humorum expansionem satis promoveri, et frequentiores excitari apoplexias: neque id absonum a ratione videtur. In ea enim atmosphæræ constitutione imminuuntur cordi resistentiæ dum sanguinem per carotides trudit; qui tamen venas peragrans satis retardatur, pondere atmosphærico deficiente. Haud tamen nego apoplexias dari sanguineas gravitante præter solitum atmosphæra; sed hoc unum dico, quod nempe et minus frequentes exoriuntur ea constitutione apoplexiæ; ac repentinæ, saltem plurimorum, mortes a viribus vitalibus pendent, quæ tunc oppressæ nequeunt motum servare circulatorium. Præterea atmosphæra quoque satis gravitante, aliquando haud desunt causæ, quæ sanguinem rarefaciant, accendantque.

(c) *Loc. Cit. pag.* 457.

38. Suppetunt alia quoque, quæ quidem confirmant intestinum motum præcedere apoplexias vere sanguineas. Autumno enim, hyeme, ac vere magis grassantur apoplexiæ. Atqui his anni temporibus promovetur magis motus, quem supra adnotabamus, humorum animalium intestinus. Vere enim, ut omnes norunt, expanduntur fluida, rarefiuntque; præsertim si ex atmosphæræ vicissitudinibus pondus imminuatur aeris, atque elaterium.

39. Progrediente vero autumno augentur forte motus intestini elementa. Tunc enim consequuntur frigus, imbres copiosiores, aer incostans sæpe, sæpius vix comprimens, et inelasticus; quum ipse humescat, effluviisque scateat corruptionis. Quapropter solidæ corporis partes delassantur, *fuligines* inter expirandum non excernuntur, perspirationes imminuuntur, deordinantur secretiones, humorumque tota contaminatur massa. Nonne hinc motus promovetur intestinus, quo ad ulteriorem omnia procedunt corruptionem? Addatur quoque tempore æstivo bilem copiosiorem secerni, ac facilius inquinari; olea animalia, et salia magis, magisque attenuari; parantur inde lentæ dissolutionis causæ, quæ tempore tandem autumnali erumpunt lethales. Videtur ergo autumni tempus magis causas congerere motus humorum intestini: quumque tempore eodem frequentiores exsurgant apoplexiæ; videntur probabilius a motu hujusmodi, quam ab aliis principiis originem ducere posse.

40. Hyemale quoque tempus plusquam æstivum causas vehit hujusmodi motus apoplexiferi, qui haud raro ab autumni vicissitudinibus saltem ex parte præordinatur. Hinc MORGAGNUS hyeme præcipue in sectis apoplecticorum cadaveribus fluidum adnotavit sanguinem, caloremque ad horas usque post mortem viginti quatuor superstitem. Nec mirum: major enim,

quam æstivo, ignei elementi quantitas dominatur humana corpora hyemali tempore: hyeme nempe et vires augentur extricantes igni-principium, quod fluidis, solidisque præsertim partibus juxta Recentiores latens adhærebat; et idem evaporaturum cohibetur corporibus, præclusa perspiratione. Excitata itaque intestina humorum agitatione sive ab autumni præordinationibus, sive a quacunque repentina causa, nil mirum si major percipitur calor, diutiusque servatur, uti observavit MORGAGNUS.

41. Hoc insuper igneum humani corporis principium aptis quibusdam agentibus causis, et copia augetur aliquando, et magis actuosum fit; hinc nisi cito evanescat, fluida omnia animalia, forte olea præsertim commovet, tenuat, dissolvit, fortuitamque sic inducit plethoram. Caustica insuper, et tenuissima hujusmodi materies nervorum irritat filamenta, stimulos profert ad cerebrum usque, mentisque facultates perturbat, destruitque aliquando.

42. Ex hac quidem causa eæ mihi videntur pendere, quas tamen observamus raro, apoplexiæ, quæ quidem evanescunt, quum furens illud principium ad partem aliquam adfluat, ibique coactum gangrenam gignat (5). Apoplecticus hac ratione probabiliter evasit, quem ego observabam hemiplecticum quoque ad latus dextrum.

---

(5) *Tunc autem prodit sæpe furentis in speciem erysipelatis. Hæc ignea materies, ut mihi visum est, parvis ex causis extricatur aliquando, sævit, terribilesque gignit effectus: subinde per tempus aliquod externa alicujus membri erumpit superficie, ita ut æger videatur aliquantum se melius habere: at cito eadem sæpius retrocedit, et aliquo coacta viscere irreparabilem vehit interitum.*

Illi rubebat ignito colore vultus, collum, et pectoris pars; fulgebant oculi, perturbabantur ideæ; pulsus incitati vigebant valde: æger exagitabatur undequaque, aliquando tamen quiescebat sopore occupatus. Tribus elapsis diebus, etsi copiosæ venæ-sectiones factæ fuissent, crus illi, et pes lateris paralysi affecti inflammabantur, aptioribusque nihil juvantibus remediis, cito subsequitur calcaneo gangræna, evanescente statim apoplexia.

43. Ex dictis huc usque constare videtur agitationem humorum intestinam, expansionem, accensionemque anteire, utplurimum saltem, apoplexiis sanguineis, præcipuæ si sint vere idiopathicæ: hinc eæ videntur promoveri a motu magis rarefactionis, accensionisque, quam a projectionis motu; licet uterque motus fere semper augeatur simul. Universalis ergo est hæc apoplexifera causa, pertinetque ad corpus totum, aut saltem ad ejus sanguinea vasa: universalis enim est liquidorum expansio, solidorumque distensio. Nonne id probant inflammationes, gangrænæque initia, quæ in intestinis observantur, et in hypocondriis, sive in pulmonibus apoplecticorum vita functorum? nonne id confirmat aqua cruenta, quam e vasis effluxam invenerunt in cavitate abdominis, thoracis, signanter pericardii?

44. Ast ego, licet probabile admodum esse exposuerim ex motu sanguinis intestino apoplexias vere sanguineas generatim enasci; haud nego tamen sanguinis cohærentiam, segnitiem, lentamque spissitudinem gignere posse sanguineam apoplexiam in iis maxime, in quibus adsit nativa quædam cerebri debilitas, aut difficilis sanguinis reditus e capite per venas. Hujusmodi vero sanguinis diathesis videtur potius eam apoplexiam effectura, quæ non subitanea penitus sit, quamque præcedant phænomena aliquantulum diutiniora.

CAP. III.

Indicia apoplexiæ serosæ, sive limphaticæ.

45. Apoplecticos ex sero evasisse conjectabimus, quos dominantur malus corporis habitus, cachexiæ principia, fibrarum lassitudo, humoris lenti, ac pituitosi copia, quosque tandem ad hydropem vergere animadvertimus. Hujus morbi species patebit magis, siquid præcessisse, constabit, quod quidem humores potuerit lentos, ac glutinosos augere; si morbus ingruerit haud repente, si vox paullatim perierit, atque loquela. Rem vero confirmabit vel maxime æger, cujus os, oculique multam exprimant lympham, pulsus veluti evanescant, venæ deprimantur; cujus tandem ætas increbuerit, vires defecerint, palluerit facies (6). Imo hic adnotare liceat apoplexiam fere semper serosam esse, quæ, licet haud sit pessimus corporis habitus, ulcera consequatur exsiccata, vel suppressionem cujuscunque fœdi, albique stillicidii, cui natura jampridem assueta fuerit. Hujus generis fuere apoplexiæ, quas adnotavit MORGAGNUS (d) in quodam rustico, in quodam Anguizzola, et in quodam sene (e), licet in hoc arteriolam quamdam inveniret sanguine turgidam. Ejusdem generis apprime fuit apoplexia, quam observavit RONDOLINUS, uti retulimus supra.

46. BONIOLUS tamen præstantissimus, ut mihi relatum est, in quadam Dissertatione ple-

---

(6) *Plura quidem ex hisce indiciis aliquando fallere possunt, ut videbimus, quum de morbi curatione nobis erit agendum.*

(d) *Epist. An. Med. IV. n. 13.*

(e) *Epist. V. art. 15.*

risque innixus observationibus suis communem ferme impugnans opinionem contendit ulcus nullum licet inveteratum, cui inducatur cicatrix, lymphaticam invexisse apoplexiam, aliosve metastaticos morbos. Si ergo methodo ab eo indicata consolidetur ulcus, nihil metuendum censet Professor Clarissimus: vulneris enim expurgationem nullo modo pendere a vitio universali sibi persuadet omnino. Quare usum quoque respuit fonticulorum: ex his enim haud fiunt secretiones, ut Ipse ait, *electivæ*. Hujus autem placitis adhærentes lego UNDERVOODUM, atque CAMPERIUM (f).

Ast alii plerique, ut vidimus supra, se haud raro observasse testantur, sive arte, sive sponte exsiccatis artuum præsertim inferiorum inveteratis ulceribus, apoplexiam exortam fuisse: quid ergo dicendum? Numne eos ægros dominabantur simul causæ aliæ, a diuturnitate forsan aperti ulceris sensim genitæ, ex quibus apoplectici evasere fortuito, quum ipsis ulcus coaluisset?

47. Hunc tandem spectare videtur ea apoplexia, quæ ex leucophlegmatica cachochymia gignitur. In hoc morbo sanguis in laxiorem, frigidam, mucosamque degenerat naturam; bilis effœta est, totumque corpus iners. Homines hi valde debiles, et laxi, a quolibet ingesto tumentes, buccas tumidas, faciem inflatam, et labia prominentia habentes referunt bombyces, ut cum BOERRHAVIO loquar, ad sua ducenda fila paratos: ingravescente morbo frigidi toto corpore fiunt, torpentesque; tunicæ adnatæ color est pallidissimus, oculique humescunt: in membra quasi prementis plumbi pondus dominatur; hebescunt sensus, et perpetuo torpent;

(f) *Giornale per servire ec.*, *Tom III. pag.* 139.

si eos alloqueris, minantur responsum, sed cujus statim sunt obliti; tandem apoplectici decedunt.

48. Novi quidem BOERRHAVIUM hujusmodi apoplexiam deduxisse *ex spirtuum defectu*: sane sive isti existant, sive tantum hypothetici sint, certissimum tamen est ad functiones animales peragendas requiri quiddam vividi, actuosi, energici, ideoque maxime elaborati in fluidis; et quamdam vim, cohæsionem, et robur in solidis, quibus quidem omnibus deficiunt cacochymia leucophlegmatica laboranres. Mihi tamen videntur humores, quibus totum eorum corpus scatet, invecturi apoplexiam potius unice cerebrum comprimendo.

CAP. IV.

De Apoplexia convulsiva, sive nervea.

49. Postquam frequentiora, minusque dubia apoplexiæ tum sanguineæ, tum lymphaticæ, ac pituitosæ descripserim signa, earumdemque specierum plures saltem adnotaverim causas; de convulsiva, nervosaque, uti proposui, dicendum est; de ea nempe apoplexia, quæ ex spasmo exoritur, et ex vi quadam morbosa, sin minus in nervos unice, in eos saltem primario sæviente. Plerique forte dum ea legant, quæ sum dicturus de his apoplexiis, quas ad nervosam revoco, aliquam asserent sanguineam esse, aliquam vero serosam: haud ego quidem valde obstabo, dummodo nervos fateantur causam morbi proximam, aut hanc eandem efficientes, putentque ideo medendi rationem aliquo modo diversam adhibendam esse.

50. De hac apoplexia mentionem facit SYDENHAMIUS (g) asserens eam ab hysterismo

---

(g) *Dissertat. Epist.*

caput exagitante produci, in hemiplegiam desinere, atque pituitosæ assimilari apoplexiæ, ab hac tamen differt causa: illa enim puerperas corripit; consequiturque partum, vel magnam hæmorrhagiam, vel gravem animi perturbationem. Scripsit de hoc morbo magnus BOERRHAVIUS docens (h), quin ulla adsit materies, aut humorum mutatio, omnes nervorum morbos effici posse usque ad apoplexiam; de qua plura quoque verba facit HOFFMANNUS (i) imo vero in suis Consultationibus aliqua hujusmodi apoplecticorum profert exempla. Hic tamen Auctor commemorat eos unice spasmos, qui partes a cerebro semotas afficientes majorem sanguinis copiam, motuque percitam majore in cerebrum cogunt. Hinc ipse opinatur magnas animi motiones, iram præcipue, metumque apoplexiam gignere; quatenus illæ spasmodicas contractiones excitant: hinc sanguinis circuitus perturbatio, majorque ad cerebrum humorum quantitas, atque impulsus. Videtur idcirco HOFFMANNUS judicare tunc solum ex spasmo nervorum apoplexiam nasci, quum ex ipsa eadem causa nimius affluat sanguis ad cerebrum, ibique fiat ejusdem congeries, aut e vasis effluxus.

51. Apoplexiæ nerveæ meminit Scardona (k); meminit etiam MORGAGNUS (l). Uterque tamen convulsione affici meninges sibi suadet: hinc ex harum convulsione desumere conatur uterque principia apoplexiæ, aliarumque subsequentium paralysum; eademque imo

---

(h) *De Morb. Nerv. Tom. II. De Sympath. pag. 221. edit. Venet. 1762.*

(i) *Medic. Syst. Tom. IV. Part. IV. Cap. 1. De nervor. resolut. et Tom. IV. Part. II. Cap. 7.*

(k) *Aphorism. De curand. Morb. pag. 11. et 22.*

(l) *Epist. An. Med. IV. n. 5. Epist. XI. n. 18.*

ratione apoplexias explicant, quæ spasmos viscerum abdominalium, aliarumque partium subsequuntur. At me quidem latet, quid tandem intelligant Auctores isti, quum ajunt meninges convulsas. Numne eas contrahi, distrahique alternatim putant sive regulariter, sive irregulariter? Id sane concipi nequit in dura Matre, quæ quidem ubique cranio quamarctissime adhæret. Bina apoplexiæ convulsivæ exempla profert etiam Celeberrimus TISSOTIUS (m), et bina quoque profert Clarissimus LORRYUS (n). De hoc tandem morbo HAENIUS (o), POMMIUS (p), et præ aliis BURSERIUS Illust. (q), scripsere aliique.

(m) *Epist. var. argumenti pag. 89.*
(n) *De Morb. Melanchol. Tom. I. Part. I. Cap. V.*
(o) *Rat. Medend. Part. IV.*
(p) *Essai sur les Affections vapoureuses des deux sexes.*
(q) *Institut. Medic. Practic. Tom. III. Cap. IV.*

CAP. V.

De signis Apoplexiæ Nerveæ, sive convulsivæ.

52. Semper refert valde morborum distinguere species: at, malo quidem fato, ea indubia desunt signa, quibus possit dignosci specierum maxima pars: earum contra similitudo Medicos sæpe fallit perspicaciores. Nitendum est igitur, ut hæ species dignoscantur, assumptis simul, perpensisque diligenter pluribus earum signis. Hoc autem magni est momenti in apoplecticis, quibus statim mederi plerumque necesse est. Quum autem in casu nostro pars symptomatum, quæ genus apoplexiarum comitantur, cum iis coexistat necessario, quæ ad nervosas apoplexias pertinent; hinc simul hoc loci ea descripta inveniet Lector; qui tamen res perpendens sedulo alia ab aliis facile, ut spero, sejunget.

53. Ex continua igitur, attentaque observatione colligitur illos maxime nerveæ apoplexiæ obnoxios esse, qui irritabiles admodum sunt, atque sensibiles, quique multa volvunt animo, ac fervida cogitatione rem quamdam undequaque perpendunt, diuque. Hos inter recensendi ideo sunt hypocondriaci, atque hystericæ, præsertim si puerperæ, aut spasmis ex difficili menstruatione divexatæ: addantur quoque, qui spasmis abdominis, calculis cystidis felleæ, arthritide anomala, epilepsia, ac magnis animi perturbationibus solent excruciari; præcipue vero, si alvus difficile deoneretur, si crassioris sanguinis lentescat motus, sique fluxus hæmorrhoidum, mensiumve; aut sudor (r) pedum, axillarumque repente deficiat.

(r) D. Folia *Morbi Nervosi Singul. Hist.* p. 13.

54. Hujus speciei apoplexiam aliquando per dies aliquot præcedere solent vertigines tenebricosæ, rigoresque frigoris leves, ac musculorum tremitus; tum vero quædam sensatio illi similis, quæ quidem excitaretur si aquæ rivulus aliqua corporis membra permearet: præveniunt etiam cutis ariditas, genuum nutatio, major totius corporis debilitas, perturbationes infimi ventris majores, et quædam tum cogitandi difficultas, tum res perpendendi. Quum autem imminet apoplexia augentur arteriarum pulsus, præsertim carotidum, atque durescunt; accedunt aliquando immanes cephalalgiæ, horrendæque artuum convulsiones; extrema corporis, signanter crura gelu rigescunt, ac quidam veluti fervor caput exagitat; aliquando angustiæ etiam ad pectus persentiuntur, et ad hypochondria.

55. Jam vero, quum invadit morbus, ægro tinniunt aures, magis accenditur facies, augetur anxietas, turbatur stomachus, viresque deficiunt: hinc solo, sed sensim, prosternitur; aliquando etiam et stantem se servat, et aliquantulum graditur. Loquela, ut plurimum, intercipitur ægro; siquando loquitur, proprium rerum nomen difficillime invenit, inventumque profert mancum, atque imperfectum. Vis mentis illi imminuitur saltem; aliquando perit omnino. In ægris, quos ego observavi, debilitas tantummodo inveni, atque confusas mentis facultates. Hæ post horas aliquot restituuntur, ut plurimum: licet post morbum, etiam levi ex causa, rursus obstupescant, ac perturbentur. Præterea isti apoplectici faciem produnt sæpe maxime floridam, aliquando tamen et lividam uti observavit LORRYUS (s); eorumque pulsum irregularem, mini-

(s) *De Melancolia Tom. I. Par. I. Cap. V. p. 115.*

mum, pessimum bihorio ante mortem Celeber. adnotavit TISSOTIUS (t).

56. Hunc morbum crebro sive valida, sive remissior consequitur hemiplegia. Sicuti autem in aliis apoplexiis adest summa ad somnum proclivitas, sic abest ut plurimum ab apoplexia spastica, qua correptos vidi sæpe alienos ita a somno, ut vel maxima angerentur vigilia. In membris vero paralysi affectis, quæ non raro rigida contrahuntur, subsultus sæpe deprehenduntur convulsivi: præterea cum motu careant, sensu, ut plurimum, pollent, imo haud raro exquisitissimo, ut et summis eadem membra afficiantur doloribus (7). Ast artus non modo paralytici, sed et corpus totum acutissimo fere pollet sensu in hac apoplexia: hinc et levi frigore apoplectici istiusmodi anguntur, et tenui quoque rumore exagitati vexantur. His autem nequeunt medicamenta tum interna, tum externa, quæ quidem irritent, exhiberi, quin maximæ in iis excitentur perturbationes.

57. Rebus huc usque expositis addenda est quoque ætas eorum, quos morbus de quo agimus solet adoriri. Observamus enim apoplexiam convulsivam sæpius corripere juvenes ætatis

---

(t) *Loc. cit.*

(7) *Huc venit adnotandum, quod scribit* Buchanius *Med. Domest. Tom. IV. pag.* 252. *Ed. Neapol. asserens paralyses, quæ membris adimunt motum, non autem sensum frequenter hypochondriacos adoriri, atque hystericas.* Riverius *quoque Obs. Cent.* 1. *Obs.* 74. *ad hypocondriacam, sive hystericam passionem pertinere existimabat paralyses convulsioni, ac dolori conjunctas. Credit quoque dolorem partes occupantem paraliticas significare nerveam fuisse apoplexiam, quam consecuta est paralysis.*

annum infra trigesimum. Sed contra docet HIPPOCRATES (u) seniores magis apoplexiæ obnoxios esse. Quum ergo apoplexia, de qua agimus, juvenes sæpe adoriatur annum infra trigesimum, erit a Medico semper ætas perpendenda, qua morbi diagnosim sibi faciliorem reddere possit. Semper tamen meminisse oportet apoplexiam cujuslibet speciei aliquando nulli parcere ætati. Addatur etiam hujusmodi apoplexiam eos quoque adoriri, qui corporis structura, sive habitu carent, quibus faciliores reddi vidimus sanguineam apoplexiam, atque serosam.

58. Innuebam (n. 56.) nerveam apoplexiam sæpe hemiplegiam gignere perfectam aliquando, sæpius imperfectam. Licet ne mihi ea super hemiplegia aliquot hic congerere conjecturas, quæ si fieri potest, indicia multiplicent, unde hujus morbi species distinguatur magis? Has me proferentem Medici, ut spero, haut satis arguent.

59. Primo itaque videtur paralysis ab apoplexia frequentius lævum, quam dextrum corporis latus occupare: idque mihi quoque confirmatur ad mentem revocanti plurimos, quos ego adivi apoplecticos. Hinc Ill. HAENIUS apoplexiam describens (x) Joannæ Poldin, quæ quidem nervea videtur, paralyticam memorat evasisse latere dextro; licet ut subdit veluti admirans: *paralysis ab apoplexia in dextro latere rarius*. Auctor idem quæsitum quoddam alibi (y) instituit, quod licet paralyses quacunque ex causa ortas respiciat, ad rem tamen nostram opinor pertinere. Sic enim ille quærit: *Si paralysis omnes non afficit artus, cur lævam potius quam*

(u) *Libr. II De Morb. n. 21. et Lib. de Aphor. Sect. III Aphor. 31.*

(x) *Rat. Medend. Par. III Cap. VI. pag. 244.*

(y) *Loc. cit. Edit. altera Cap. VIII. pag. 110.*

dextram corporis partem occupat? In recensitis, subdit, *decem casibus unius modo dextri est lateris; in cæteris hic non recensitis plerique omnes sinistrum latus sunt resoluti. Dumque adnotatæ mea revolvo practica, videor dudum idem observasse*.

60. Alii quoque observarunt generatim paralysim frequentius latus lævum resolvere, quam dextrum, uti, colligitur ex Cel. BARTHOLONO (z); et inter alios Claris. recenset GARDANEUM, qui addit latus sinistrum paralyticum consanescere difficilius quam dextrum.

61. At video adcuratissimum quoque MORGAGNUM idem observavisse: animadvertit enim (a) quod in quindicim veræ apoplexiæ sanguineæ exemplis, tres vidit apoplecticos lævo, binos utroque, reliquos vero dextro cerebri hæmisphærio læsos; ac proinde tres tantum cum hemiplegia ad dextrum latus observavit: læso enim cerebri dextro hæmisphærio latus fere semper resolvitur sinistrum. Ut vero explicaret frequentiorem hanc lateris sinistri paralysim, attendendum esse, ait, *dextras* nempe *plerasque partes corporis esse ut plurimum in frequentiori motu consuevisse, quam sinistras, et quod consequitur, vasa quoque non illarum modo, sed et cæterarum, quæ a dextris sunt, ob communicationes, consensusque laborare magis, et dilatari solita esse*. His vero positis ratio aliqua constare videtur, qua fiat ut ad dextram cerebri partem major adfluat sanguinis quantitas. Dilatationi autem majori, quam in vasis lateris dextri jure quidem supponit MORGAGNUS, mihi videtur addenda carotidis, subclaviæque dextræ ordinaria positio, quæ magis obsecundare debet adfluxum sanguinis ad cerebri dextram partem.

(z) *De L'Eletricité Du Corps Humain T. I. p. 470.*
(a) *Epist. an. Med. III. n. 18.*

Constat enim subclaviam, carotidemque dextras ortum communem ducere ex arcu ipso Aortæ, ad quas eadem ferme directione, qua in Aortam ipsam, cor sanguinem impellit. Quapropter quum ex constitutione carotidis, subclaviæque dextræ, et usu majori dextrarum partium, major in illas sanguinis copia, motuque percita majori trudatur, supponendum videtur magis infirmari paullatim debere tenuissimorum vasorum tunicas; hinc in parte cerebri dextra læsionem facilius posse exoriri, quæ lateris oppositi, idest lævi paralysim fere gignit.

62. Quamvis autem ex his constare videatur hemiplegiam ex apoplexia generatim frequentius lævum, quam latus corporis dextrum occupare; ex auctorum nihilominus observationibus, quæ perraræ non sunt, meisque propriis videtur evinci, apoplecticos ex vitio nervorum potius parte dextra, quam sinistra paralyticos evasisse. Et revera HOFFMANNUS hemiplegiam refert (b) lateris dextri ex apoplexia, quam quidem ex nervis fuisse opinabatur. Æger enim hypochondriacus erat, et flatibus, ructibus, vigilia, tristitiaque jampridem angebatur: imo vero apoplexiam præcessere graves animi curæ, molestiæque. Hinc consultus HOFFMANNUS respondit: *hæ sunt fere accessiones, quæ viros hypochondriacos, fœminasque hystericas sæpe numero infestare solent* (c). Idem Auctor alterum memorat paralyticum lateris dextri (d) ex apoplexia, quam ex vitio nervorum arguebat. Tertiam quoque hemiplegiam hujusmodi descritbit (e) ab apoplexia probabiliter nervea: hanc

---

(b) *Consult. et Resp. Med. Cent. Sect. I. Cas. XVI.*
(c) *Loc. cit.*
(d) *Loc. cit. Cas. XVIII.*
(e) *Loc. cit. Cas. XXII.*

enim præcessit magna animi perturbatio, nec subsequabatur mentis facultatum amissio: æger a somno abhorrebat quam maxime, et qua parte paraliticus, spasmo angebatur. Hemiplegiam dextri lateris refert LAZERME (f) in apoplectico, qui antea colica nephritica lacessebatur. Eandem lateris dextri hemiplegiam memorat POMMIUS (g) ab apoplexia, quam vocat spasmodicam: hic æger convaluit usu juris ex pullo, clysterum ex aqua, tepentiumque Balneorum. At contra æger in pejus ruebat, quum quodam utebatur medicamento ex enula campana, valeriana, cinnamomo, cascarilla. LANCISIUS (h) apoplexiam describens Ill. SPADÆ, eam fuisse opinatur ex acri, tenuissimoque quodam vapore nervos permeante; et dextrum illi latus refert paralyticum. SALODINUS noster juvenis Medicus diligentissimus, bonisque studiis addictissimus hemiplegiam lateris dextri, quæ brevi tempore evanuit, in quadam muliere invenit dudum ex vitio nervorum apoplectica. JACOBUS ANDREOLUS doctissimus Medicus, meique amicissimus paralysim in parte dextera mihi retulit Presbyteri cujusdam apoplectici, qui apprime hypochondriacus erat, irritabilis, atque sensibilis. Ejusdem apoplexia videbatur sane nervosa: eam enim præcedebant causæ, subsequebantur effectus, quibus hæc morbi species solet dignosci. Tres ego observavi epilepticos hemiplegia tandem correptos, iisque latus dextrum defecisse: eodem latere paralyticam evasisse puellam quamdam epilepticam RIVERIO scribit JACOTIUS (i).

(f) *De Morb. Capitis Consult. XVII.*
(g) *Essai sur les Affections Vapoureuses Obs. IX.*
(h) *Repent. Morb. Obs. IV.*
(i) *Observat. Communicat. pag. 115.*

63. Ex hisce observationibus, aliisque, quas mox describam, constare videtur id non usuvenire si de apoplexiis nervosis loquamur, quod asserebat HAENIUS; nempe *quod paralysis dextri lateris ab apoplexia rarius*, quod tamen, ut vidimus supra, confirmaverunt MORGAGNUS, atque GARDANEUS. Quid ergo dicendum? Numne casu quodam fortuito factum est, ut illi Medici clarissimi plurimas observarent apoplexias aliarum specierum validiores, quas sæpius consequantur quidem lævi lateris paralyses; contra paucas nervosas, quæ remissiores esse solent, quæ forte sæpius hemiplegiam gignant lateris dextri? HIPPOCRATES quidem ea, quæ sequuntur scripsit (k) videlicet; *In convulsionibus vocis interceptio diu durans mala est; parva autem aut linguæ syderationem, aut brachii, aut dexterarum partium significat.* Non secus ac si levi ex aphonia metuenda sit tantum, aut saltem præcipue paralysis dexterarum partium: silentio revera præterit lævas, innuitque tantum dexteras corporis partes.

64. Quid ergo dicendum, si in nerveis apoplexiis dextrum potius, quam sinistrum latus resolvatur? qua ratione, ac causa id fieret? Numne nervorum spasmus potius, quam in dextram, agens in lævam cerebri partem, in hanc impellit majorem sanguinis quantitatem, aut ex ipsa præcludit sanguinis redditum? Quod dextram carotidem magis quam lævam circumeant nervi, numne promovere hemiplegiam valeret lateris dextri potius quam sinistri in iis, qui spasmis afficiantur? Præterea paralysis, quæ dextrum frequentius occupat latus, esset ne simplex sæpe spasmus nervorum in membris insidentium, quin ulla cerebri adesset læsio? Quæ vi-

---

(k) *Coac. Prænot. Sect. II. vers.* 175.

scera dextro lateri adhærent, essent ne ad spasmum in suis viciniis excitandum aptiora, aliove modo ad paralysim gignendam? Re quidem vera WYTTHIUS, quem citat TISSOTIUS (l), observavit in ægris duobus debilitatem, et insensibilitatem in dextro latere exortam, quum hepar utrisque suppuraverit. Numne ergo in apoplecticis hypocondriacis ideo lateris dextri exoritur sæpius paralysis, quia eorum jecur jam male affectum est utplurimum, et in ipsorum cadaveribus aliqua ex parte saltem observatur sæpenumero læsum?

65. Præterea major pars hominum plus dextro, quam lævo utitur brachio; hinc diameter arteriis subclaviæ, brachialique augetur magis, quam arteriis iisdem partis lævæ. At si arteriæ immutantur ita, cur non et nervi? Atqui brachiorum nervi a spinali exoriuntur medulla. Numne ergo ex usu frequentiori brachii dextri, et forte etiam, ut consequens est, ejus lateris totius nervorum status immutari posset ita, ut ii sensibiliores, mobilioresque evaderent? Numne iidem nervi in vasculis cellulosæ telæ (ex qua magna ex parte coalescunt) exercitio dilatatis majorem haurirent fluidi copiam? Numne hæc tandem e suis receptaculis egrediens velut hydropem inveheret in dextram spinalis medullæ columnam? HIPPOCRATES ipse videtur illud confirmare; quod paralysis in iis membris determinetur facilius, quæ magis defatigentur usu: *ex tussientibus*, ait ipse, *qui manibus laborabant velut servus ille, qui sarmenta obtorquebat, et Aminthæ filius ambo sola dextra resoluti cessaverunt. Qui vero aut equitarunt, aut iter fecerunt in lumbis, ac femoribus resoluti sunt* (m).

(l) *Trat. de' Nervi Tom. II. Part. II.* § 41.
(m) *De Morb. Populat. Lib. IV. vers.* 27.

66. At causa licet ignota, effectus tamen videtur confirmari ex aliis nerveis, quas ego observavi, ut supra innuebam, apoplexiis, quæ dextrum quasi constanter latus resolverunt. Aliquot ex iis præcipue mere convulsivis libet huc loci referre. Nimis fortasse prolixus in iis describendis alicui videbor: at siquid ego video, ex hac nimietate luculentius hujus morbi patebunt indicia, quibus a junioribus Medicis dignoscatur.

NERVEÆ APOPLEXIÆ.

HISTORIA

I.

67. Illustris quidam Canonicus nunc septuagesimum quintum agens ætatis annum excessiva tum animi, tum corporis sensibilitate, anxiaque conscientia usque a juvenili ætate angebatur. Studiis enixe incumbebat, in iisque stomachi dolore certa quadam periodo laborabat: convalebat vero nocturna intermittens studia. Sacerdos initiatus magis, diuque religione sollicitabatur. Quum autem quindicim abhinc annis per dies aliquot auditor adfuisset, Verbum Dei prædicantibus iis, quos Missionarios vocant; tunc continuo aucta est, quæ magna jamdiu illi erat, tum conscientiæ, tum nervorum sensibilitas.

Pluribus transactis annis nox, quæ diem præcessit quartam junii, anni 1783. eum turbis vexavit, magisque exagitatus sub auroram, tinnitu quodam aures percelli, mentis cogitationes sensit confundi, ac veluti primos deliquii limites adivit. Quum res ita se haberent vocatus adfui prima vice suppeditaturus artis re-

media. Ejus vidi faciem non saturato, sed roseo colore tinctam: ejus mentem aliquantum confusam deprehendi, ac perturbatam; degluttiendi difficultatem observabam; linguæ usum impeditum quidem, non tamen omnino sublatum; os detortum; paralyticum latus dextrum, quod quidem non adempto sensu, sed maxime aucto, diris torquebatur doloribus. Præterea æger toto corpore acutiori sensu pollebat; difficilis a pluribus diebus erat alvus; pulsus vero, licet turgentes, non tamen duri, tardique uti sere inveniuntur in sanguinea apoplexia.

Tunc jussi e vena sanguinem mitti: hinc ægro levamen aliquod, quod tamen non augebatur secta rursus post horas circiter octo vena: glutinosus exibat sanguis, nulla deinde obductus crusta. Aperiebatur alvus clysteribus emollientibus; neque enim stimulantibus uti poteramus, quin maximæ in toto corpore excitarentur turbationes. Itaque clysteribus, sero lactis depurato, aliquibusque sedantibus remediis Æger post aliquot dies ore componebatur; post aliquot hebdomadas libere loquebatur, ac facile deglutiebat, exactis aliquot mensibus crure quantum satis utebatur, aliquantulum et brachio. Mens autem post horas aliquot a morbi invasione sibi restituebatur omnino. Interea tamen partibus paralycticis dira convulsione conflictatis, genitalibus sævo erethismo distractis, vigiliis defatigantibus, mentis impotentia ad res serio perpendendas, summaque tandem totius corporis sensibilitate optimus Æger per plures menses affictabatur. Quæ quidem sentiendi vis adeo acuta evasit, ut ex solo contactu pilorum vestis pelliceæ, ex tenui quopiam sonitu, ex urina etiam urethram percurrente nimis lacessitus animo deficeret. Nunc temporis autem retusa aliquantum hujusmodi sensibilitate, imminuta quoque sunt, quæ illud vitium sequuntur incommoda.

Historia

II.

68. Ornatissima quædam Virgo altero supra trigesimum ætatis anno structura corporis fœlix, natura summe cogitabunda, irritabilis, sensibilisque a quatuor diebus haud bene se habebat, per biduum autem somno insolito laborabat. Tunc temporis dominabantur in aere tum calor, tum humiditas. Quum sub vesperas diei decimæ sextæ Junii an. 1786. caput ejus stupiditate quadam molestissima obtunditur; vocatus adfui, quæque sequuntur observavi. Erat illi facies veluti rosea, mens confusa: verbum aliquod prolatura, illius solas primas pronunciabat syllabas; aliquando etiam nomen rei proprium perquirebat frustra, idque eadem animadvertens turbabatur. Præterea tum brachii, tum cruris dextri motus omnino impeditus, aliquantulum etiam sensus: stomachus vero, pectusque angustiis magnis opprimebantur. Decem ante dies menstruus illi sanguis solita quantitate effluxerat; a sex autem diebus fœces ab alvo nullæ.

Quæ quum ita comperissem clysterem jussi, venæque sectionem; hinc Ægra optima solabatur: mane sequenti incommoda minuebantur adhuc; motus, sensusque ferme restitutus vigebat. Contra quærebatur ventrem flatibus perturbari; et caput affici, ac si receptaculo quodam angusto coarctaretur: hinc blande alvus purgata est. Elapsis diebus circiter octo omnia sedabantur; si tamen excipias reliquum aliquid difficultatis tum ad res enixe animo perpendendas, tum ad oculos in certum quodpiam objectum diutius intendendos.

Historia

III.

69. Incepto Februario anni 1786. ingenua quædam Virgo ægrotavit. Ipsa valde sensibilis ab annis aliquot levi quodam manuum tremitu, subsultuque afficiebatur. Jamvero a pluribus diebus animo satis perturbata, menstruoque fluxu evasa, vix elapsis Februarii Kalendis, repente capite torquetur, quod primo æstus validus, sonitusque molestus urgebat. Facies, quæ quidem natura pallebat, florido quodam rubore imbuebatur, elataque voce auxilium flagitavit: subinde vox intercepta est: mens illi confusa, tumensque lingua, atque torpescens. Familiares venam illi contusam cupiebant; Medico vero improbabatur, qui Ægræ antispasmodica obtulit remedia. Post horas aliquot soluta loquela, mens illi ordinabatur rursum, cogitatione tamen, memoriaque parum firma: imposterum lateri dextro omnis fere motus, sensusque patuit ademptus; dum membris reliquis naturalis mobilitas, atque sensibilitas mirum in modum augebatur. Post dies vero circiter decem, et latus paralyticum naturali motu, nimioque sensu vigebat.

Elapso circiter menſe validior renovatur apoplexia. Virginis facies vivide iterum rubebat, tinniebant aures, lingua torpescebat: magna cum difficultate Ægra deglutiebat, atque loquebatur, imo loquens sæpe quædam verba invito animo proferebat, impotens ea, quæ volebat, pronuntiandi. Iterum latus ejus dextrum motu ferme, ac sensu carebat, osque detorquebatur: quæ quidem phænomena nonnisi post octo dies evanescebant; latusque corporis paralysi affectum non-

nisi post quindicim reviviscebat. Ast major solito sensibilitas perdurabat, notabilisque tum loquendi, tum deglutiendi difficultas. Tunc temporis secta vena omnia in melius vergebant: hinc major sanguinis quantitas nova venæ-sectione emissa est: et omnia in pejus ruebant; adeo Medicum decet circumspectio in venæ-sectione imperanda, quum de nervorum morbis agatur! Ab Ægra tunc sumpti flores *Zinci* tenuissimam adferebant utilitatem, ferrum contra certum damnum.

Ægrotans, quum res ita se haberent, me consultura advocavit. Eam inveni magnis percitam terroribus, facile mente evanescentem, ad deglutiendum, atque loquendum impeditam aliquantum. Brachium utrumque deprehendi torpens, et corpus reliquum extra modum sentiens; ita ut maxime exagitaretur Ægra siqui colloquerentur, aut gradu moverentur: imo quidquid et tenuis susurri, strepitus etiam solearum lignearum, quibus fœminæ utuntur, eam vexabant ita, ut statim ejus linguam pungens torpedo, ac dentes, maxillasque lacesseret quædam molesta, terrensque distractio. Memoria ante morbum satis firma vacillabat; nec lectioni, nec scriptioni poterat vacare: scribere volens determinatum verbum, proprias ejus literas, sed inordinate delineabat. Toto corpore angebatur, nisi tepido se colligeret loco: abhorrebat a cibis quam maxime, et linguam prodebat fœdam.

Sic stantibus rebus mannam præscripsi: hinc cibos sumpsit libenter. Subinde per dies aliquot mane aliquantulum cremoris tartari, et mediocrem seri ex lacte depurati quantitatem potabat. Circa Nonas Majas, deprehensis pulsibus exasperatis aliquantum, atque durescentibus paucum sanguinis mittebatur; hinc lento quidem gressu, sed continuo solabatur Ægra. Continuo

illa de more lactis sero utebatur; interjectis autem vicibus aliquantulo cremoris tartari. Post dies vero a morbi invasione circiter quinquaginta sumebat quotidie modicam dosim valerianæ, atque chinæ-chinæ. Ex his levabatur valde; loquebatur enim facilius, melius deglutiebat, illique satis imminuebatur maxima nervorum sensibilitas, atque mobilitas; quod ut obtineret facilius præscripsi aliquantulum spiritus vitrioli aquæ immiscendum. Ad id temporis tepens Balneum domesticum, sed valde caute adibat: hinc majus semper levamen, quod quidem adeo crevit in dies, ut convaluerit omnino.

Historia

IV.

70. Nobilissima quædam Virgo annum ætatis agens vigesimum quintum, ingenio, animique summa virtute prædita, nervis autem valde sensibilis, post noctem somno traductam apoplexia corripitur. Rosea illi erat facies, os detortum, oculus satis monstrose protuberans, mens aliquantum confusa, dextrumque latus paralyticum. Lenibus tantum medicamentis convaluit. Reliqua tamen illi adhuc est sensibilitas solito major, oculusque haud quidem suo loco restitutus.

71. Ast opportuniori loco aliæ hujus speciei exponentur apoplexiæ. Nunc vero, ut melius hæc nervea, sive spastica distinguatur apoplexia, præstat discrimina ostendere, quæ inter hanc, aliasque quasdam nervorum ægritudines intercedunt.

CAP. VI.

In quo discriminentur Apoplexia Nervea, præsertim mere convulsiva, Suffocatio hysterica, et Epilepsia.

72. Nervorum ægritudines spasticæ apoplexiæ affines sunt præsertim *suffocatio hysterica*, et Epilepsia. At nervea quidem apoplexia difficilius quam sanguinea, atque serosa distingui potest a *suffocatione*: imo ea apoplexia, quam hystericam dicunt, vocari posse videtur postremus suffocationis hystericæ gradus. Verumtamen tum quæ comitantur apoplexiam hystericam, tum quæ præcipue subsequuntur, ostendunt, aliquatenus, quam ab hujusmodi morbo differat *histerica suffocatio*. Mulieres enim in *suffocatione* pulsus produnt angustos, depressos, nullos etiam aliquando, ut in syncope, quum nempe hysterica passio sæviat vel maxime: apoplectarum nervearum pulsus nimis diversi sunt, ut supra innuimus (n. 54.). Quum vero fœmina a suffocatione hysterica resurgit, memorat quidquid assidentes dicebant, quidquid operabantur, dum vita functa videbatur. Me quidem haud latet apoplecticas etiam ex nervis aliquando rerum meminisse, quæ morbo ingruente acciderant; quum nempe levis eas corripuit apoplexia, in qua rerum cognitio non aufertur, sed tantum, ut supra innuimus (n. 55.) confunditur: at fere semper memoria retinet confuse, nec omnia, quæ acciderant, sed tantum aliqua. Si vero validior ingruerit apoplexia, omnium quidem rerum obliviscuntur. Hoc quoque discrimen CAELIUS asserebat (ille autem loquebatur de apoplexia generatim) inter hos morbos intercedere: sic enim ait (n): *cessante*

(n) *Auctor Morbor. Lib. III. pag. 145.*

affectione apoplecta fœminæ nesciunt gesta; illæ vero; quæ matrice fuerint præfocatæ, resipiunt, atque narrant quemadmodum fuerint oppressæ.

73. Accedit quod hysterica passione oppressarum clausos observamus oculos, et faciem naturali fere colore imbutam. Postremo tandem cessante *suffocatione*, licet diutina, nunquam paralysi, sed universali tantum atonìa laborant: loquela illis non remanet intercepta, sed pàulo post convalent omnino. Quid vero si vires mentis attendamus? Post *suffocationem hystericam* nihil ex mentis facultatibus adimitur. At quantum contra vires tum corporis. tum mentis, ut supra vidimus, ex apoplexia læduntur?

74. Certis quoque indiciis distinguitur hic morbus ab Epilepsia. Hæc enim ægro et omnem, et semper cognitionem aufert, si perfecta: convelluntur præterea epileptici, totumque corpus insolitis omnino motibus torquetur, atque exagitatur; quæ quidem absunt ab apoplecticis. Postremo tandem apoplexia una tantum vice plus lædit mentis facultates, quam epilepsia pluries renovata.

75. Verum ægri recensitæ prædispositiones (n. 53.), phænomena morbum præcedentia (n. 54.), morbi ejusdem jam sævientis symptomata (n. 55. 56. 57. 58.), et ea tandem (n. 72. 73. 74.) exposita, quibus ab morbis affinibus discriminatur apoplexia nervea; hæc inquam, omnia observari unice possunt in ægro, qui adhuc vivat. Quoniam vero Medico rationem indicant medendi morbo, aliis præstare videntur, quæ sectis cadaveribus, queant deprehendi. Nec ista tamen spernenda sunt: et ipsa enim morbi naturam significant, atque confirmant. Quamobrem nervosam dicunt certius apoplexiam, si sectum apoplectici cadaver cerebrum prodat, cerebellum, aliasque partes nullo vitio iniquinatas, a quo gigni poterat mors.

76. Plura sine vitio observarunt Medici cadavera apoplecticorum: hoc loci aliquot satis est indicare. Duo observavit celeberrimus TISSOTIUS (o): in capite primi *ne minimum quidem inveniebatur vitium*: in altero etiam nihil vitiatum, si tamen excipias *cor paullo æquo majus, mollius, pallidiusque*. In secto juvenis fœminæ cadavere, quam vita functam describit HAENIUS (p) ex apoplexia, ipse deprehendit unice pulmonem leviter pleuræ adhærere, ileumque tres vermes continere. Nihil tandem vitii observavit BOUCHERIUS (q) in cadavere Virginis, quæ anno ætatis suæ vigesimo primo convulsiva apoplexia occubuit, post iteratos epilepsiæ accessus. Mirum quidem est, re tamen vera non solum invenitur cerebrum, sed et aliæ corporis partes, quæ post mortem nullum læsionis indicium proferant, quum vivente homine vel maxime læderentur. Xenedochio Versailliensi, ait QUESNEYUS (r), observabantur colicæ quædam convulsivæ adeo sævientes, ut ægris mortem afferrent, quin tamen vestigium læsionis ullum in eorum intestinis post mortem posset deprehendi. Nuper clarissimus GENNARIUS (s) explicat qua ratione serum innumeras cerebri rimas, sive interstitia ab ipso observata pervadens, licet nec nimium, nec nimis densum, sed tamen præter solitum acre, morbos inferre possit lethales in cerebrum ipsum, quin ullam post mortem prodat morbidam immutationem.

(o) *Epist. varii argumenti pag. 88.*
(p) *Rat. Medend. Part. IV. pag. 36. et 37.*
(q) *Apud* Borserium *loc. cit Tom. III. Cap. IV.*
(r) *Memoires de L' Academ. Roy. de Chirurgie Tom. I. Part. I. pag. 19.*
(s) *Giornale per servire ec. Tom. I. pag. 377.*

77. Animadversis tamen in ægro vivente nerveæ apoplexiæ indiciis, non ideo negari posset hujus speciei fuisse morbum, dum aliqua aquæ quantitas post mortem in cerebro inveniretur. Quidquid enim actionem nervorum imminuit, sive alio quocunque modo perturbat, imminuere quoque potest, atque turbare sanguinis motum per vasa cerebri: hinc major secernitur seri copia, quæ cerebrum obruere potest; tunc vero in cadavere invenientur signa compressionis, licet morbi causa sit unice sita in nervis male affectis.

Id autem colligi signanter potest ex epilepticis quibusdam, ut notat CULLENIUS (t). In iis enim plures post vices sævientis, quiescentisque epilepsiæ subsequi observamus aliquando aut dementiam, quæ quidem a nimia in cerebro collecta pendet serositate; aut veram apoplexiam, et in horum cadaveribus, sanguinem, serumve, quod cerebrum opprimit, invenimus; licet morbus primario e nervis exoriretur. Apposite ergo scripsit BOERRHAVIUS (u) *apoplexiam æque gignere aquam, quam quod gignatur ab aqua.*

(t) *Instit. de Médec. Pract. Tom. III. pag.* 71.
(u) *De Morb. Nervor. Tom. II. pag.* 221.

CAP. VII.

Apoplexiæ Nerveæ Divisio in idiopathicam, et in sympathicam.

78. Sedes diversa causarum, quæ nerveam invehunt apoplexiam, Medicos induxit ad hunc morbum distinguendum in idiopathicum, et in sympathicum. Idiopathicam vocant hanc apoplexiam, quum causæ illam efficientes insident initio nervorum, idest cerebro, quod spasmo, aliave ratione lacessunt. Sympathicam dicunt quum dictæ causæ a cerebro semotæ in ipsum sympathice tantum agant. Sed quum mihi videatur aliquando arduum esse, sedem statuere tum causarum spasmi, tum spasmi ejusdem, ideo subdo me eam vocare apoplexiam nerveam idiopathicam, quam gignunt mobilitas excessiva, et sensibilitas nervorum, aut aliæ causæ, quæ sua natura primario, et immediate agunt vel signanter in sensorium commune, vel in totum nervorum systema; cujus generis sunt animi pathemata, quædam venena, immanis dolor, immodicæ evacuationes, aliaque hujusmodi. E contra sympathicam voco nerveam apoplexiam, cujus causæ saltem occasionales semotæ a cerebro videntur idem per consensum lædere; aut eam, quæ gignitur ex humoribus in cerebrum irruentibus; si tamen eos illuc coegit spasmus a cerebro remotus, qui ex. gr. excitetur in imi ventris visceribus.

79. Non est forte explicatu arduum, qua ratione gignatur ea apoplexia, quam supra vocavimus *idiopathicam*; quum insideant cerebro causæ, quæ ipsum irritantes, sive alio quocunque modo lædentes, possunt apoplexiam producere. Sed difficile quidem est explicatu qua ratione illa excitetur apoplexia, quam dicunt *sympathicam*.

80 Duplici modo videntur, causæ a cerebro remotæ lædere cerebrum posse, unde *sympathica* exoriatur apoplexia. Primum lædunt, quod facile intelligitur, quum spasmo torqueant corporis partes in quas agunt; puta infimum ventrem; tunc enim sanguis, obstructis spasmo vasis abdominalibus, aut saltem eorum capacitate imminuta, majori quidem impetu, ac quantitate fertur in cerebrum; cujus vasa nimium distrahere, ac forte potest disrumpere. Sic sentit HOFFMANNUS, ut (n. 50.) innuimus. Secundo eædem causæ possunt, quod tamen difficilius explicabitur, cerebrum lædere, licet ab ipso remotæ, simplici quodam consensu; quin tamen in cerebro post mortem ulla deprehendatur morbosa immutatio. Vana enim est opinio, ac falsa, saltem sæpe, eorum, qui putant ex convulsionibus sanguinem majori semper velocitate, ac quantitate in cerebrum trudi. Nam in plerisque convulsis arteriarum pulsus satis exiles, et aliquando evanescentes haud certe innuunt majorem sanguinis impetum. Revera dissectis infantum cadaveribus, qui periere convulsi, haud vasa cerebri sanguine proderunt referta (x).

81. Hanc summam difficultatem in *consensuali*, ut ajunt, apoplexia explicanda fatetur quoque Claris. BURSERIUS (y). Hinc postquam aliorum opiniones confutare conatus est, eamque etiam, quæ docet spasmum per nervos cum medulla cerebri communicari, ac super re suas aliquas profert conjecturas. Numne, conjiciens ait, spastica contractio propagatur usque ad minimas cerebri arteriolas, quibus spasmo contractis commercium intercipiatur inter cerebri cor-

---

(x) Senac *Trattato Della Strutt. del Cuore Tom. IV. pag.* 44.

(y) *Loc. cit. Tom. III.* §. 104.

ticem, medullamque, atque inter hanc, et reliquas corporis partes? aut forte extrema nervorum a causis spasmi lacessuntur adeo, atque labefactantur, ut eorum etiam origo, cerebrum nempe, similem labem in tenerrima elementari fabrica incurrat? hinc autem ea fibrarum subversio, aut alia quælibet præter naturam mutatio exoriatur, quæ motum, et sensum extinguat?

Quidquid sit de hisce Auctoris spectatissimi conjecturis, fateor me latere rationem, qua spasmus longe a cerebro excitatus cerebrum lædat ita, ut apoplexia enascatur, quin ullum in cerebro eodem morbi vestigium relinquatur oculis prosectoris percipiendum. Ego enim ignorantiam minus odi, quam errorem. Quare his prætermissis ad causas spasmum efficientes investigandas statim transeo.

CAP. VIII.

Causæ exponuntur Apoplexiæ Nerveæ præsertim Idiopathicæ.

82. Certissimum est, præcipue hominis sensibilitatem, mobilitatem, atque irritabilitatem facilem efficere hanc apoplexiam. Iis enim positis dispositionibus, nervi levissimis causis ad extra existentibus, et ad tantos effectus imparibus perculsi eos motus vi propria excitant inordinatos, violentosque, qui turbas cient enormes; non secus ac si validissimæ in corpore adessent causæ. Cerebrum vero præsertim semper est ad spasmum proclivius: quapropter ex ejusdem spasmo enasci potest apoplexia.

83. Nil mirum ergo, si, qui multa cogitant, ac res diutius perpendunt, facilius hoc morbo corripiuntur. Studia enim, rerumque meditatio signanter, et directe cerebrum defatigant; quod his de causis spasmus adoritur faci-

lius, quam alias corporis partes. Nuper hujusmodi forte periit apoplexia immortalis EULERUS. Agebat annum ætatis suæ septuagesimum sextum. Die septima Idus Septembris, inito calculo, ascensum aereostaticarum Machinarum metiebatur, quæ per totam tunc celebrabantur Europam: deinde super planetam Herschellium, ejusque orbitam subtilissime disserens, delapsa de improvisó, qua tabaci fumum hauriebat fistula, mathesi, ac vitæ ereptus est (z).

84. Præterea cerebro hac ratione disposito, præcipue quum mens diutius rem unam meditatur enixe, anixieque, furor ille facile exsurgit, quem *enthusiasmum* vocant. Quot vero homines ex hujusmodi furenti, ut ita dicam, mentis œstro repente obiere! Inter cæteros censendus est ille Actor, qui vita decessit, dum furens tragicam agebat personam. LORRYUS (a) Rhetorem quemdam agnovit, qui HOMERI lectione extra se ipsum rapiebatur ita, ut sæpe animo deficeret. Parochus quidam, uti refert celeber. ZIMMERMANNUS (b), sacra commendabatur eloquentia: ut laudem hujusmodi servaret sibi, augeretque, diu noctuque conabatur mente. Hinc viribus corporis destituebatur, memoriaque, quæ, et magis deficiebat, quo nisu maiori eam augere contenderet. Postremo apoplecticus evasit, atque hemiplecticus. Qui ad excessum sacris vacant meditationibus, ferri solent in eos, quos dicunt *Raptus*, *Ecstasesque*; ac sæpe in apoplexiam desinunt. Novi paucis abhinc annis, Cœnobitam quemdam, qui ma-

---

(z) *Eloge de* M. Euler *par* M. *le Marq. de* Condorcet.

(a) *De Melancol. Tom. I. Cap. VI. pag.* 144.

(b) *Traité De L'experience en general Tom. III. Chapitr. VII. pag.* 301.

gno quum nisu res sacras meditaretur, stomacho veluti urebatur, ac pectore: paullatim defecerunt illi mentis facultates, atque lethali apoplexia correptus est. Hæc est apoplexia, quæ vocabatur a summo BOERRHAVIO (c) *apoplexia sensorii communis*, et quam immedicabilem fatebatur HELMONTIUS, scribens; *quando apoplexia oritur a superbia idea, hanc remedia paracelsica non curant, nam malum est spirituale; si vellem hic per medicamenta curare, nova indigerem arte*.

85. Ast haud rari sunt illi quoque, qui ex magnis animi motionibus apoplectici moriuntur. An hæc apoplexia ex eo gignatur, quod corpus spiritibus, ut ajunt, animalibus exinaniatur; aut quod spasmus universi corporis majorem sanguinis copiam, motuque percitam majori in cerebrum cogat, quæ vasa ejusdem disrumpens hæmorrhagiam gignat, uti observamus in hæmopthysi; convulsiva; aut quod fiat paralyticum, percellentibus nimis animi motionibus, sensorium commune, uti videtur celeberrimo TISSOTIO (d); aut quod animi quædam pathemata fluidum nerveum, (quod ferme in idem recidere videtur) motu destituant, uti putat celeberrimus CULLENIUS (e); aut quod in hisce violentis animi motibus fibræ sensorii communis obstringantur magis, magisque rigescant, adeoque actioni impares evadant, uti sustinet LORRYUS (f); an alia ratione; me libens fateor latere; meoque judicio alios quoque latere debet, cum certe pendeat a legibus commercii a-

---

(c) *De Morb. Nerv. Tom. II. pag. 221.*

(d) *Tratt. De' Nerv. Tom. II. Part. I. pag. 202.*

(e) *Institutions De Médicine Pratique Tom. III. art. 1115.*

(f) *Loc. cit. Tom. I. Par. I. Cap. IV. pag. 94.*

nimam inter, et corpus; quæ densis nimis tenebris obducuntur. Certo tamen videtur hujusmodi apoplexia a nervis provenire, quos nimis percellunt animi commotiones.

86. Re autem vera quot possunt apoplectici recenseri ex animi commotionibus, quibus homines obnoxii sunt? Ipsa eadem lætitia, qua tamen perfruimur raro, mortem repentinam invexit aliquando. Historici Romani matrem quamdam referunt vitam liquisse repente, vix filio reviso, quem vita functum apud Cannas dudum crediderat. FOUCHETIUS celebris, vix ab ALOYSIO XIV. donatus libertate, obiit de repente. JUVENTIUS THALNA, vix novit decretum sibi de Corsis subactis triumphum, ad Aras gaudio interiit repente, dum Numini grates sacrificiis agebat (g). TISSOTIUS DIAGORÆ mortem ex nimio gaudio commemorat, postquam tres Gnatos vidisset corona vinciri (h). Plura hisce similia profert Auctor idem. Meminit quoque LORRYUS (i) hæredis LEIBNITZII e vita repente decedentis, inventa, ac vix inspecta, quæ auro cumulata erat, arca. Alios quoque HALLERUS (k) innuit obiisse repente aut *libertate*, aut *reddita sibi amata puella*. Narrat BOERRHAVIUS (l) Pyratam crudelissimum præ summa lætitia repente mortuum fuisse, quum filium suum vidisset redemptum, quem pro perdito habuerat. SOPHOCLES vi-

---

(g) *Apud* Zimmermannum *loc. cit. Tom III. pag.* 218.

(h) *Essai sur le Maladies Des Gens Du Monde art. V.*

(i) *De Morbor. Conversionibus pag.* 118.

(k) *Elem. Physiol. Corp. Human. Lib.* XVII. *Sect. II.*

(l) *De Morb. Nerb. Tom. II. pag.* 222.

ctor pronunciatus in tragœdia repente exanimatus
est : idem FILIPPIDI accidit Commœdiarum au-
ctori . Libet tandem hic adnotare , quod apud
Historicos Venetos legimus . VICTOR Patritius
Venetus ex Patre ALOYSIO DIEDO , adolescens
indole ingenuus , ingenio perspicax a Patre tra-
debatur Obses anno 1480. Turcarum Imperato-
ri in Urbe Constantinopolitana . Suis Ipse ma-
nibus testudinem quamdam concinnavit egre-
gie , a qua musicos eliciens sonos , Tyrannum
suaviavit adeo , ut ab ipso libertate prius dona-
tus , magnis subinde cumularetur muneribus .
Progressu temporis data fide de reditu suo , Ve-
netias assentiente Sultano , Suos convisurus
contendit . Idque vix Pater , Fratres , Sorores ,
Consanguineique persentiere , præcupidum juve-
nem multis comitantibus Cymbis obviaturi ad
eum pervenerunt , quem Portum duorum Ca-
strorum vocant . VICTOR spectaculo commo-
tus , gaudioque vocem amittens repente apople-
cticus inter Suorum complexus interiit .

87. Ex ira quoque apoplexiam enasci haud
raro observatum est . Id confirmat inter cæte-
ros SCARDONA (m) observatione quadam ,
quam TOZZIUS refert ; *Ipse novi* , scribit , *la-
nionem quemdam , qui cum vellet quemdam adoriri , a
quo fuit injuria affectus , ab illo frustro carnis ictus
ira simul , et timore commotus repente concidit ,
et mortuus est* . Apoplexiam ex eadem causa ad-
notavit TISSOTIUS (n) . Lis erat inter puellas
amicas super colore funiculi , quo vincienda erat
vestiuncula cujusdam parvi suarum deliciarum
simulacri . Hac super re satis rixatæ sunt : una
ex ipsis ætate annorum septem , quum summa
exardesceret ira , e cubiculo evasura in januæ

(m) *Loc. cit. pag. 16.*
(n) *Loc. cit. Tom. II. Par. II. Cap. IX. § 119.*

limen corripiebatur apoplexia: hinc ipsi læva manus paralytica, qua nunquam convaluit. Vir quidam Bernæ tum in bellicis rebus, tum in politicis præclarus magni momenti munus exposcebat: denegabatur; indignatus apoplexia, et post horam morte corripiebatur (o). Alii quoque morbi apoplexiæ affines ex ira jam observati fuere. Uxor, referente VALERIO MAXIMO, NAUSIMENIS Atheniensis prospiciens gnatum, filiamque incestuose coire, insanabiliter obmutuit. *Puella*, inquit STOLLIUS (p) *ob negatam ab Hera mercedem irascitur. Mox phrenitica fit, frequenter convellitur; perit die quarta. Cadaver sedulo perquisitum nil prorsus alieni ostendit.*

88. Terror etiam vitam repente adimere potest. TISSOTIUS refert, reum quemdam, vix nuntio audito de mortis pœna a judice contra eum pronunciata; subito obiisse (q). Auctor idem spectatissimus alibi (r) mulierem quamdam memorat prægnantem, quæ uterinas experiebatur hæmorrhagias: fauste hæ compescebantur, vigebant vires, pariendi imminebat tempus: hinc de ejus salute spes satis certa affulgebat. At gravi perculsa terrore deficit, excitata delirat, crastina die nova, sed prima minor accedit hæmorrhagia, et Ægra unius horæ spatio moritur. *Et quidni*, subdit, *ex nervis mors?*

89. At grandis quoque animi dolor, qui de repente excitetur, apoplexiam invehit aliquando. HELI Pontifex Hæbreorum, Judexque annum agens nonagesimum octavum interiit statim, ac

(o) Zimmermann. *Loc. cit. Tom. III. pag. 272.*
(p) *Rat. Med. Tom. III. De Caus. et Sed. Phrenitid. pag. 242.*
(q) *Loc. cit Tom. II. Par. I. pag. 247.*
(r) *Epist. var. argum. pag. 91.*

dolens audivit populum ab hoste profligatum, Arcam Testamenti abreptam, gnatum utrumque peremptum (s). PUB. RUTILIUS obiit repente, quum Fratri consulatum negassent Romani (t). LANCISIUS (u) vidit Seniorem quemdam inter cœnandum repentina morte sublatum, quum ipsi adventum nuntiassent consanguinei sui, quem non sibi honoris futurum esse putabat. Adolescens quidam (x) viduam amans perdite, accepto per epistolam repulsæ nuntio, procubuit humi, eademque die mortuus est. LORRYUS (y) observavit apoplexiam, quam quidem dicit hystericam, ac subsequentem paralysim cujusdam Matronæ, audito vix nuntio sibi funesto. Memorat BOERRHAVIUS (z) Virum quemdam, qui in Galliis ad tumulum paternum hærens, deflensque mortuus est. Celeberrimi GAUBII quidam amicus monitus de morte Fratris sui properans pergit Hagam Comitum: ejus cadaver conspiciens angitur, viribus destitutus sedet, moriturque ita subito, ut cum Fratre tumulatus fuerit (a). In obsidione Budæ occidebatur (b) Germanus fortissimus, qui vel superna virtute pollens hostes profligare cernebatur. Dux exercitus inquirebat quis esset occisus? agnoscens unigenitum suum hærens aliquantum obstupuit, et mortuus est. Dum scribebat ZIMMERMANNUS celebrem de Experientia librum,

---

(s) *Lib. I. Regum Cap. IV.*
(t) Plin. *Natur. Hist. Lib. VII. Cap. XXXVI.*
(u) *De Subit. Mort. Lib. I. Cap. IX. art. 18.*
(x) Sauvages *Nosol. Class. VI. § XXVIII.*
(y) *De Morb. Melanch. Tom. II. Par. I. Cap. II. pag. 157.*
(z) *Loc. cit. pag. 223.*
(a) *Serm. Acad. alter. pag. 27.*
(b) Boerrhav. *loc. cit.*

vita defuncta est Uxor Principis GEORGII ALOYSII Olsatiæ; Vir mœstissimus accedit feretro, quod ex lignis pretiosis nuper fabrefactum sustentabat Uxoris cadaver. Cubiculario quemdam pium librum legente, ut Princeps jusserat, idem ex oculis lacrymas, ex pectore effundens suspiria moritur repente (c). Amicus meus, compaterque, vix lectis litteris, quibus ille in judicium vocabatur de summa rerum, apoplecticus evasit, laterisque dextri paralyticus, loquelam amisit omnino, non tamen cognitionem; ast ille perfecte convaluit.

90. Quum vero prægnantium, et puerperarum nervi sint ad spasmum procliviores, hinc iis periculum imminet majus hujusmodi spasticæ, de qua agimus, apoplexiæ (8). Et, ut verum fatear, mihi plerumque visum est, præcipue ex spasmi causa mulieres vitæ periculum subire, sive illis immineat partus, sive in partus actu, sive expleto jam partu. Spasmo e contra evanescente eas facile adjutas, tum arte, tum natura haud raro observavi.

91. Adnotavit jam BOERRHAVIUS (d) non.

(c) *Loc. cit. Tom. III. Chapitr. VI. pag. 259.*

(8) *Puerperarum nervi existimari solent ita sensibiles, morbosisque obnoxii deordinationibus, ut putent plerique eandem ipsam* puerperalem *febrim, aliquando saltem, indolis esse nervosæ* (Ern. Chr. Nolte *Dissert. de Febre Puerperar.*). *Hoc idem suspicatus est Clariss.* Frankius *valde plaudendis innixus meditationibus. Ejus suspicionem confirmant quæ mulieres sub ipso partu mortali corripiuntur apoplexia*, quam aliquando, *ut ipse scribit*, nervosæ indolis esse in parturientibus dubium non est. *Delect. Opusc. Med. Vol. V pag. 57. in Adnot.*

(d) *De Morb. Nerv. Tom. II. pag. 320.*

nullis mulieribus in extremis partus nixibus exoriri semper epilepsiam, ita ut sine ullo pariant sensu; addiditque in summis primi partus laboribus plures mulieres maturiore nuptas ætate affici epilepsia, et fere semper cum suo fœtu mori, nisi hic prompte educatur. Nuper observavi mulierem spasmo dire occupatam, cui fœtus extrahebatur, epilepticos motus prodere, subinde mori repente.

92. Hæc autem terribilia accidunt facilius, si mulieres hujusmodi animo commoveantur. MORGAGNUS (e) terrens puerperæ fatum narrat. Ipsa affectionibus hystericis obnoxia in lucem emisit fœmineam prolem, quum multiplici ex causa præcuperet masculinam. Vix partu peracto, Vir quidem imprudens sexum prolis nunciavit uxori: illico huic pulsus defecerunt, corpus friguit totum, et intra sesquihoram mortua est. Defatigatio ex partu difficili, et terror exinde ortus in causa fuere, referente SEBASTIANO ALBRECTO apud MORGAGNUM (f) cur alia puerpera *inter loquendum præter omnium opinionem* mortua fuerit.

Ruricola quædam mulier pro sua conditione satis delicata paullo post partum putrida corripiebatur febre. Aptaverunt coxendicibus vesicatoria, quibus ruditer pertractatis a quodam rustico, qui vices gerebat Chirurgi, ira exardens, ac dolore pressa ululavit ægra, statimque emortua est.

LORRYUS (g) sensibiles adeo, mobilesque credit puerperas, ut aliquando subita morte earum quasdam corripi opinetur ob nimiam, qua affluunt, lætitiam exactis partus laboribus, nun-

---

(e) *Epist. Anat. Med. XLVIII. n. 44.*
(f) *Loc. cit.*
(g) *Loc. cit.*

tiataque prole mascula in lucem emissa. Quare, qui sive prægnantibus, sive puerperis adstant, in primis evigilent, necesse est, seduli-que caveant, ne illæ irritentur, aut alia animi commotione afficiantur; præcipue si habitudine sint sensibiles valde, mobilesque. Tunc enim unicum quandoque verbum, gestumque funestissimos gignere potest effectus.

93. Itaque affirmabam nervosæ indolis apoplexiam adoriri prægnantes, puerperasque; nec tamen easdem puto esse immunes apoplexia, quæ sive fit ex partus conatu vasa cerebri disrumpente, sive ex lactea, sive ex lochiali, quæ in cerebro colligatur, *metastasi*. Non me latet in cranio post subitam mortem sæpius inventam fuisse lacteam materiem (h); nec latet HIPPOCRATEM scripsisse (i); *Si mulieri puerperii purgatio ad caput irruat (id enim contingit), plerumque statim moriuntur*, quod quidem posteriores confirmant observationes (k).

94. Ast aliqui forte censere possunt, potius ex syncope, quam ex apoplexia induci mortes hujusmodi subitaneas, quas ego cum Recentioribus plerisque clarissimis ad genus apoplexiæ revoco: nec quidem cum hisce falli existimo. Si enim, præsertim ante hæc tempora, non omnes ita opinabantur; ideo forte erat, quod violentæ animi affectiones sæpenumero mortem adferunt ita repentinam, subitamque, ut sæpe symptomata, quæ solent apoplexiam comitari, nequeant prodire. Atqui nonnulli maximis animi perturbationibus perciti, quum dies aliquot vivant, mentem ratione orbatam, aut satis confusam, os detortum, hemiplegiam.

(h) Van-svvieten. *aphor.* 1329.
(i) *De Morb. Mulier. Lib. I.*
(k) Van svvieten. *loc. cit.*

aliaque hujus generis proferunt symptomata; hinc mihi ad apoplexiam spectare posse videntur mortes subitaneæ, quas invehunt animi perturbationes, licet per tempus nequeant solita apoplexiæ phænomena observari. Et sane si plures mentis commotiones, signanter vero terror, et horror epilepsiam haud raro gignunt potius quam syncopem; cur juxta varios earum gradus, variamque virium naturam, ac juxta patientis constitutionem efficere nequibunt apoplexiam, quæ gradus Epilepsiæ maximus censetur?

95. Præterea licet concederetur cordis motum spasmo, sive paralysi intercipi in animi perturbationibus; non ideo tamen syncope esset necessario idiopathica, sed potius sympathica ex cerebri læsione. Videtur enim certum hujusmodi causas primario in cerebrum agere. Latet quidem, quænam sit hujusmodi actio, quaque perficiatur ratione: latet quoque, quænam sit physica cerebri conditio, quum magnis afficiatur animi perturbationibus; nec semper patet, quid in cerebro physice immutetur ingruente nervea apoplexia, de qua loquimur in præsens: invisibilia enim cerebri machinamenta sæpe deordinantur ita, ut mortem vehant, quin ullum deordinationis vestigium in ejus substantia reliquum conspici possit. At nihilominus cerebrum primario affici probabilius videtur: in animi enim commotionibus aliqua perceptione opus est, quæ quidem ad cerebrum spectat. *Quapropter*, inquit HIPPOCRATES (l), *cor quidem, et præcordia maxime sentiunt; sapientia tamen minime participant, sed omnium horum cerebrum causa est.*

96. Cerebrum est, quod ab animi affectionibus sive hac, sive illa vi, atque ratione af-

---

(l) *Lib. De Morb. Sacr. art.* 17.

fectum aliquando minus, imo et nihil penitus influit in cor; hinc syncopes, et mors sæpe exoriuntur; e contra aliquando influit plusquam solito in cor ipsum, quod palpitat vehementer, vique majori sanguinem ad cerebrum impellit, quod, apoplexia exorta, morbidam etiam sui immutationem post mortem conspicuam prodit.

97. Ex hisce vero inferri licet unam, eamdemque causam ferre posse eundem morbum pluribus, et quidem diversis modis, sicuti et morbum diversum; forte quædam animi commotiones sæpius symptomata syncopis evidentiora; quædam aliæ apoplexiæ phænomena efficient. At certum videtur, generatim mortes subitas ex animi violentis perturbationibus ad apoplexiam præcipue, de qua hic agimus, revocari posse; syncope enim censenda est sympathica, non vero idiopathica. Hanc syncopem observamus aliquando sympathicam ingruente etiam vera apoplexia sanguinea, uti exposuimus (n. 19. 20.) licet in ea nullam aliam post mortem observemus morbosam immutationem, nisi in cerebro sanguinem aut congestum, aut e vasis effluxum.

98. Ex dictis huc usque facile colligitur, quid responderi possit illis, qui putarent syncopem esse morbum primarium, ex quo observatum sit ventriculos cordis haud raro, ac proxima vasa sanguine coagulato satis referta esse in cadaveribus eorum, qui ex animi affectionibus repente perierunt. Verum plusquam satis forte hac super re disseruimus: inceptam igitur persequamur nerveæ apoplexiæ causarum enumerationem.

99. Adnotavimus jam (n. 76.) nihil vitii **BOUCHERIUM** detexisse in cadavere virginis, quæ ex apoplexia occubuit, postquam pluribus epilepsiæ accessibus vexata fuisset. At porro epileptici sæpenumero evadunt apoplecti-

ci, sive ut melius dicam, ad eum epilepsia pervenit gradum, quem apoplexiam dicimus. Hæc autem apoplexia inter nerveas recensenda est; inter quas etiam ea revocanda utplurimum erit, quæ in coitu exoritur, quo cerebrum in convulsionem cieri potest. Novi quemdam juvenem Pharmacopolam in coitu semper, extra coitum numquam epilepsia correptum fuisse.

100. Nerveas inter apoplexias ea quoque adnumeranda est mors subitanea, in quam desinit aliquando mania, ut bis observavit LORRYUS (m).

Odores quoque, de se licet innocui, tunc tamen apoplexiam, de qua agimus, efficiunt, quum magna odoriferarum partium accumuletur copia, diuque inspiretur (n).

101. Etiam in ebrietate nervi videntur primario affecti; meritoque ebrietatem esse affectionem nerveam brevem asseruit LORRYUS (o). Aliquos agnosco homines, qui, dum merum, aliosque liquores potant, convulsi prius, quam ebrii fiunt. „ In Miscellaneis Naturæ Curiosorum, inquit BOERRAVIUS, (p) „ legitur e-
„ xemplum de milite quodam, qui se replebat
„ tanta copia potus fermentati, ut distentus se
„ vix posset movere, sed in scamnum se po-
„ nens paullo post ab eo delapsus expiravit. In
„ cadavere reperitur notabile nihil; nihil in ca-
„ pite, nec in pectore. Hinc, subdit, effectus
„ inde orti irridiationi cuidam spirituali adscri-
„ bendi sunt, eodem modo, ut dixi, de va-
„ pore per nares hausto ".

(m) *Loc. cit. Tom. I. pag. 69.*
(n) Vogel *De Apoplexia aphor. 558.*
(o) *Loc. cit. Part. I. pag. 123.*
(p) *Loc. cit. Tom. I. pag. 83.*

102. Videntur a quadam pendere nervorum læsione mortes quoque repentinæ, quibus pestis magis, magisque sævit, ac terret. Aut enim exoriuntur a myasmate pestilentiali, quod, quum subtilissimum, ac summe efficax circulando ubique penetret, actionem destruit nervorum; aut a vera gignuntur asphyxia, quam invehit aer venenatus regionis infectæ, quamque promovent maxime dejectio animi, et Incolarum terror. Sed quidquid ex his supponas, certum est apoplexiam hujusmodi a nervis lethaliter affectis pendere.

103. Nerveam esse apoplexiam, quæ ex venenis gignitur, nemo est, qui dubitet. Certo enim constat nervos præcipue lædi a venenis. Horum autem aliqua in cerebrum sæviunt immediate: alia vero, quum immediate agant in alias corporis partes, in cerebro tamen terribiliores eorum actionis persentiuntur effectus. Id satis probant, quæ venenorum actionem subsequuntur symptomata (9). Quod autem secta veneno peremptorum cadavera nullam proferant aliquando mutationem morbosam, ex qua oriri mors posset; id probat præcipue apoplexias hujusmodi nerveas fuisse (n. 75.).

---

(9) *Plura venena repente occidunt. Id præstat morsus serpentis, quem a* Sonaglio *vocant* (Tissot Tratt. de'Nerv. Tom. I. Part. II Cap. VIII.) *Aspidis morsus hominem statim obstringit sopore lethali, referentibus* Plutarcho, *atque* Lucano. *Historia Romana meminit tum veneni, quo statim periit* Vibulenus Agrippa, *tum illius, quod quidem a Locusta paratum* Neronis *jussu exhibitum fuit* Brittanico, *ex quo repente interiit. At Tyrannorum fastus, improborumque hominum plurima hujusmodi ostentant exempla.*

104. Ast aliud adest venenorum genus, quod aut veram infert repentinam mortem, aut mortis speciem, quam tamen verus consequitur interitus, nisi illi apta objiciantur remedia. Hæc vero terribilia efficit aer, qui tumulos mortuorum, puteos profundos, et antra quædam dominatur. Vis eadem mortifera inest quoque vaporibus, quos quidem liquores fermentescentes, ignitique exhalant carbones. Quot autem homines interiere, qui venenatis hujusmodi se obtulerunt vaporibus? Historia unicuique memorat JOVIANUM (q) Imperatorem, quem quidem cubantem invenerunt orbatum vita ab accensis carbonibus, qui ad humiditatem repellendam suo servabantur cubiculo. Sic regno eripiebatur anno ætatis suæ trigesimo tertio sapiens ille Cæsar, qui a septem tantum mensibus regnabat. Celebris est quoque historia Studiosorum Jenensium, qui, quum thesauros venarentur, a fumo accensarum prunarum interierunt (r). Ex mephitico autem aere tumulis coacervato mortem sæpe subeunt repentinam, qui sive pietatis, sive sui muneris causa sepulcra ingrediuntur. Postremis hisce temporibus Cremonæ duo Vespillones sepulcrum quoddam publicum adeuntes repente obiere, ut refert (s) de hoc argumento optime meritus Ab. ISIDORUS BIANCHI.

105. Præstat animadvertere præter carbones, et fermentescentes liquores, alias quoque substantias *gaz* hujusmodi mephiticum, mortiferumque diffundere. Quodlibet corpus, dum comburitur, eundem præstare potest effectum;

(q) Eutropius *Lib. X. pag.* 274.

(r) Haller *Elem. Physiol. Lib. VIII. pag.* 140. *in Adnotat.*

(s) *Lettera sulla morte apparente de' Soffocati, e de' Sommersi. Milano* 1783.

et quilibet aer nisi renovetur, virulentus evadit, si in illo ad quoddam tempus quædam determinata combustibilis substantiæ quantitas aduratur. Corporis, quod comburitur, status metitur, ut ita dicam, aeris venenum: nam quanto magis vitiatur aer, tanto magis ignis comburens tenuatur, qui quidem deficit omnino, quum aeris vitium ad summum pervenerit gradum.

106. Tristis experientia docet aerem quoque, quem expiramus, vitam aliquando adimere posse; non secus atque aer, quem liquor fermento actus, aut carbo ignitus exhalat. Sensibilitas, atque irritabilitas læditur valde, destruiturque aliquando hominibus iis, qui coacti sunt aerem inspirare diu eundem, quin renovetur. Horreres penitus, si legeres exactam malorum descriptionem, quæ in carcere quodam Regni Bengalensis mense junio an. 1756 gignebat aer non renovatus, vitiatusque plurimorum hominum exhalationibus: eorumdem malorum exitum unice attingam. Pro regis jussu sub vesperas centum quadraginta quinque viri cum una muliere in eum carcerem una cojiciebantur, quem Angli dicunt *nigrum foramen*: ejus area pedibus quadratis constabat decem et octo: cuilibet hinc detento spatium erat pollicum quadratorum decem et octo. Carcer amplo muro circumscriptus duabus tantum modicis findebatur fenestellis, quæ ferreis muniebantur cancellis. Reclusis mane sequenti januis vix tres supra viginti ex centum quadraginta sex prodire semivivi. Funestum quoque hujusmodi phænomenon observabatur in Urbe Oxonii ann. 1559. In ejus enim Aula publica Judices, postquam in reos quosdam sententiam dixerant, Assessoresque pene omnes de repente obiere: hinc Cives eum vocarunt *atri judicii* diem.

107. Et sane miserandum videtur, hacce cognita aeris aut nihil, aut parum renovati vi deleteria, homines nihil animum advertere ad

qualitates aeris, ex quo pluribus diei, noctisque horis spiritum ducunt. Medici tristes quidem observant quotidie morbos, quibus obnoxii sunt illi, qui aeris qualitates despiciunt. Id autem mihi dolendum summopere, quod despiciant utique, qui inter viros sunt sensibiliores. Spiritum enim iis in locis pervicaciter ducere volunt, in quibus aer pene mephiticus dominatur. Neque eos terrent acutissimi capitis dolores, terribiles asthmatis aggressiones, rheumata periculo plena: adeo mortales refugiunt animo ab ea vitæ ratione, quæ minus mentem, sensusque suaviter percellat. Sed finis fiat episodio; quod tamen non valde est abs re nostra.

108. Itaque tum aer pulmonum exhalationibus nimis refertus, tum vapores fermentantium liquorum, ignitorumque carbonum, non secus atque venenum quodlibet apoplexiam potest efficere, quæ quidem dicenda erit nervosa: sensibilitas enim hominum, atque irritabilitas ita læduntur, ut et deficiant omnino. Mirabilius tamen phænomenon, quod ex mephiticis vaporibus extincti proferunt, est auctum sanguinis volumen, ejusque fluiditas. At quæ horum causa? Id ne præstat vapor idem mephiticus, vel aer externus sanguinem penetrans? an forte *fluidum elasticum* ejusdem sanguinis, quod explicetur, ac turgeat? Recentiores aliqui vaporem causantur mephiticum; plerisque vero videtur difficillimum statuere, quanam ex recensitis vera sit phænomeni causa. Ast observatione sæpius repetita compertum est, infelices hujusmodi, qui vita functi videntur, et per diem integrum, ad vitam tamen redire. Hinc hominem decet auxilia illis suppeditare, quæ dicemus Cap. XXII.

109. Me quidem haud latet, aliquod dubium oriri posse, utrum vaporibus affecti mephiticis emoriantur ex syncope, an ex apople-

xia. Apoplecticam mortem vocabunt, opinor, ii, qui ex vaporibus mephiticis putant respirationem primario impediri, sanguinisque reditum a cerebro; cujus hinc vasa, ventriculosque turgentes sanguine aliquando observantur (t). Neque id illi negabunt, quibus persuasum est vapores mephiticos in cerebrum primario vim suam deleteriam exerere. Hi tamen facilius nervosam, illi vero sanguineam forte affirmabunt apoplexiam.

110. At contra morbum, sive mortem conjectabunt ex syncope potius cardiaca, qui eos vapores agere affirmant immediate in cor, aliosque musculos, quin cerebrum urgeant. Hoc autem sibi suasere forte Physici quidam celebres, postquam phænomenon inspexissent in corde ranarum. Corda enim ranarum suo sejungebant corpore, earumque unum aeri mephitico, alterum naturali exponebant aeri; hoc serius, illud quam cito suam amisisse irritabilitatem comperiebant.

111. Sed horum Physicorum observationibus plura opponi possunt. Et primo quidem saltem analogia probatur, vapores mephiticos vim suam exerere in cerebrum; ex eo vero in corpus reliquum. Opium enim agit non secus atque vapores mephitici, uti Clariss. observavit PORTALIUS (u). Sed opium, ut constat observationibus, quas primum instituit WYTHIUS, subinde iteravit PORTALIUS, opprimit primo cerebrum, ex eoque corpus reliquum. WYTHIUS enim binas ranas sumebat, quarum uni obtruncabat caput: utrique vero pellem detrahebat, qua Venter obtegitur: in ventrem

---

(t) Portal. *Histoir. de l'Acad. des Sc. an.* 1775.

(u) *Observations sur les Effets de Plusieurs poisons dans le Corps de l'Homme Chapitr. V. pag.* 352.

inde utriusque quandam tincturæ Opii quantitatem fundebat. Observabat autem cor ranæ sine capite diu servasse, alterius vero cor amisisse suam quamcito irritabilitatem. Videtur ergo dicendum, quod et vapores mephitici, mediante cerebro, corpus reliquum afficiant. Hinc patet quanam ratione nervi sive compressi in sui origine, sive quomodocumque inertes effecti, neque in alias corporis partes agere queant, neque in cor ipsum.

Secundo videtur sane majorem saltem phænomenorum partem, quæ in homine efficiunt vapores mephitici, potius ad caput immediate spectare, quam ad cor, et forte etiam ad respirationem. Id autem propriis experti observationibus affirmant plures, celebresque Medici; quos inter enumerandus venit BOERRHAVIUS (x), qui inclinationem in somnum memorat, dolorem capitis, ejusque tentionem ad dies aliquot perdurantem; sed ne verbum quidem facit de læsa respiratione. HOFFMANNUS quoque nullam respirationis difficultatem, sed innuit tantum ex hisce vaporibus stuporem invectum, soporemque. Illustr. SWIETENIUS asserit homines a vaporibus carbonum læsos nunquam de anxietate conquestos fuisse; semper vero de acutissimo capitis dolore, et de quadam ejus, ut ajunt, plenitudine(y). Id probat observatione WEPFERI, ex qua colligitur hominem quemdam ab alto sopore ex hisce vaporibus orto revocatum asseruisse, se haud anxio spiritu, sed somno suavi occupatum fuisse. Revera neque HELMONTIUS anxietatis meminit dum proprium a vaporibus carbonum apoplexiæ periculum describit, incipientemque hemiplegiam. Clarissimus

---

(x) *Loc. cit. pag.* 104.
(y) *Comment.* §. 1010.

BANAU (z) ad vitam revocavit Presbyterum quemdam vaporibus mephiticis oppressum ; idque methodo refrigeranre PORTALII. Redivivus Sacerdos adstantibus affirmabat, se ignorare utrum nec ne mente quidem excogitasset auxilium petere ; nullum enim ajebat effectum pensensisse ejus vaporis metuendi, quum ab ipso afficiebatur. Fatebatur autem odorem aceti, quo sibi provisum fuit, sibi visum fuisse *quid divinum* : tunc vero, nisi a quadam mentis confusione non angi. Marchio autem de TURGOT (a) Academiæ Parisiensis historiam retulit Virginis cujusdam Normannæ, quam cum oppressisset vapor carbonum, methodo PORTALII sanaverunt. Ad vitam rursus excitata asserebat, hoc unum memoria retinere, quod ante asphyxiam parte capitis anteriore angebatur quam maxime: subinde vero per biduum dolore totius capitis torquebatur. Quid plura? PORTALIUS meritissimus (b) asserit pluries audivisse paullo ante mortem canentes eas aves, quas Ille vaporibus mephiticis exponebat: eæ vero nutantes conspiciebantur, ac velut ebriæ vacillantes; adeo verum est a vaporibus hisce potius caput, quam pulmones lædi, saltem sæpe. Hic addi quoque potest PORTALIUM (c) observasse vesicam eorum, qui ex mephiticis vaporibus defecere, urina plenam, atque distentam, uti non raro in apoplecticis conspicitur.

112. Celebres hinc plures Medici jure ergo, ac merito affirmant ex apoplexia potius, quam ex syncope perire vaporibus mephiticis affectos. Celeberrimus CULLENIUS (d) opinatur

---

(z) *Apud* Portalium *Loc. cit. pag.* 57.
(a) *Apud* Portal. *Loc. cit. pag.* 60
(b) *Loc. cit. pag.* 26.
(c) *Loc. cit. pag.* 67.
(d) *Loc. cit. Tom. III. Cap. I.*

mobilitatem extingui humoris nervei, asseritque sibi videri hasce substantias neque in organa respirationis agere, neque in sanguinem; alibi vero (e) sibi persuasum ait esse, quod hujus speciei asphyxiæ ad genus spectent apoplexiæ. Postremis hisce temporibus Celeb. WALTHERUS (f) contendit mephiticis vaporibus læsos mori apoplecticos. Hisce autem plerique alii addi possent.

113. Ex huc usque expositis satis constat, ut spero has asphyxias, sive mortes ad genus apoplexiæ pertinere, aut saltem eo nomine vocari posse. Si vero cadaveribus eorum observatis, qui ex hac causa periere, suspicio syncopis suboriretur, hic ea quoque adderem, quæ (n. 19. 20. 95.) adferebam.

CAP. IX.

De ea Apoplexia, quæ ex acrimonia oritur aliquando.

114. Si causæ nervorum principium occupent, irritent, vel alio quocumque modo ejus structuram lædant, exoriri potest apoplexia, quam (n. 78) diximus *idiopathicam*. Hanc propterea gignere potest acrimonia, quam faciunt præcipue curæ tristes diutinæ, aut quædam sanguinis vitia. Curæ enim tristes nervos generatim lædunt, ac lente debilitant, appetitum, somnumque subripiunt, vires adimunt stomacho, vitiantque digestiones: densatur bilis, cogiturque hepate; hinc omnes deordinantur humo-

---

(e) *Synopsis Nosolog. Methodic. pag. 135. Edit. Ticin. 1787.*

(f) *Nouveaux Memoires de l' Acad. des Scienc. Berlin an. 1784.*

res, atque vitiantur. LANCISIUS (g) observavit Cardinalem quemdam ex hac causa apoplecticum evasisse lethaliter. De hac apoplexia loqui videtur HIPPOCRATES (h), quum dicit: *cerebrum autem cladem perfert, ipsum etiam sanum non existens; sed siquidem erodatur, turbationem multam sustinet, et mens decipit, et cerebrum convellit, ac distrahit totum hominem, qui in se ipso vocem non edit, ac suffocatur; et hæc affectio syderatio, ac græca apoplexia vocatur*.

115. MORGAGNUS (i) plures profert apoplecticos, quorum morbum non ex compressione conjicit fuisse, sed ex convulsione, et ex quadam coarctatione meatuum cerebri ab acri inducta materie. SCARDONA (k) vero contendit hanc esse apoplexiam, quam Veteres *calidam* vocarunt. *Quam calidam*, ait, *Veteres appellarunt, Moderni ab acri irritante materia nerveas cerebri, ac Meningum fibrillas pungente, vellicante, convellente repetunt. Hæc porro eos adoritur, quorum fluida sulphureis, subtilioribusque particulis onusta sunt, solida vero nimium tensa, atque ad oscillandum parata. Quæ quum ita sint, spiritus volatiles, oleosos, salia volatilia, elixiria, frictiones dolorificas, sternutatoria, purgantia, emetica, atque alia hujusmodi .... infensissima esse nemo est, qui non videat*. Ad hanc propterea apoplexiæ speciem compescendam citatus Auctor remedia tantum laudat, quibus corpus refrigeretur, humectetur, atque mitescat.

116. Huc quoque revocari debent apoplexia, hemiplegia, et dolorificæ convulsiones, ac

---

(g) *De Subit. Mort. Lib. I. Cap. VIII. art. 14.*
(h) *Lib. De glandulis n. 9.*
(i) *Epist. Anat. Med. IV.*
(k) *Loc. cit. Lib. I. Cap. I. Aphor. 24.*

rigiditates, quas ex scorbuto observavit inter cæteros SENNERTUS (l), quasque ipse credit exoriri ab acri, calidoque vapore nervos occupante. Iidem fuerunt apoplectici a Clariss. SAUVAGESIO (m) observati, quorum calida, et sicca erat temperies, alvusque constipata, dum sani erant.

Novi, et ut Medicus adivi Virum quemdam stirpe, ingenio, virtute nobilissimum, ex cujus facie certis anni temporibus erumpit admodum mediocris herpeticæ materiei quantitas. Accidit aliquando, ut Ipse sese exponeret aeri, qui de improviso rigescebat: ex ejus actione materies herpetica extemplo retrocedebat aliquantulum: tunc et admirans, et dolens Virum egregium subito aspiciebam velut animo multa volutantem, inter agendum ancipitem, dubiumque, ac summa melancholia deordinatum, oppressumque. Qui vero animadvertat quam subito Ille lædatur, haud quidem dubitare poterit, quin nervi id agant, quum a vix retrocessa, licet pauca irritentur materie. En qua fieri ratione possit, ut acris quædam materies nervos magis percellens prorsus gignat apoplexiam.

117. Hæc est quoque apoplexia, quam gignit materies rheumatica, et morbillosa, sive scabies retropulsa, sive, ut quidam asseruere, perspiratio, quæ retrocesserit. Hæc quidem apoplexiæ species dici potest *metastatica*: hujusmodi tamen metastases, utpote minimæ, ut plurimum, ac nimis subtiles, potius irritando sæviunt, quam comprimendo.

(l) *Lib. III. Part. V. Sect. II. Cap. IV. De Scorbuto.*
(m) *Nosolog. Method. Class. VI. Ord. V.*

CAP. X.

De Apoplexia, quæ oritur ex dolore quascunque corporis partes occupante.

118. Dolor, præcipue si immanis, quacumque corporis parte excitatus apoplexiæ speciem gignit aliquando, quæ nervorum læsæ actioni, præcipue vero communi sensorio vi doloris deordinato, quomodocunque id fiat, haud dubie est attribuenda. Sive enim MORGAGNO (n), atque BURSERIO (o) adhærens putes, contracta spastice, quam occupat, parte, nimium sanguinis ad cerebrum cogere; sive aliorum probans opinionem dicas dolorem propagare spasmum ad cerebrum usque, aut a doloris vi nervorum destrui energiam, quod probabilius videtur; hoc unum asseris, quod ex dolore exurgere possit apoplexia. Hanc vero vel sympathicam, vel idiopathicam dicunt prout sunt partes a dolore lacessitæ.

119. Revera quantum valeat dolor et ad frangendam, et ad delendam nervorum actionem satis probatur exemplo tauri furentis, qui fractis omnino viribus procumbit statim, ac canes ei testes convellant. Hoc quoque adnotavit celeber. CALDANIUS (p) scribens neminem fugere *doloribus vel ingruentibus, vel savientibus robur plus minus infirmari, ac pene destrui*: tantam vero doloris aliquando esse potentiam corporis nostri vires, motusque destruendi fatetur HOFFMANNUS (q), ut effectus doloris

---

(n) *Epist. An. Med. III n. 5.*
(o) *Loc. cit. Tom. III Cap. IV. §. 82.*
(p) *Instit. Physiol. n. 218.*
(q) *Tom. II. Cap. XI.*

venenorum assimilet effectibus. Animadvertit quoque HALLERUS (r) ex dorsi dolore in caput saliente hominem ad instar mortui solo prosterni: ex multis autem observationibus, quas Ipse collegit, evincitur satis, graviorem in nervis irritationem *cerebrum primum in consensum ciere*(s). En itaque qua ratione hinc nervea exoriri possit apoplexia.

120. Hujusmodi morbum adnotavit quidem et LANCISIUS (t), asseruitque eundem a spasmo produci. Hujus est speciei apoplexia ex summo dolore exorta, qui in membrorum amputatione torquet ægrum, præsertim si debilis sit, ac summopere sentiens. Non ita pridem vidi ego ipse maxime dolens mortem repentinam amici mei, licet sanissimi, atque fortissimi, quum in eo immanis dolor ex fracto crure atrociter sæviret. Legitur in SEPULCHRETO (u) nihil morbosi inventum fuisse, nisi uterum convolutum, et in vesica fellea calculum formæ ovalis, *dactylum* integrum referentem, in cadavere mulieris cujusdam, quæ summis doloribus lacessita obiit repente.

Prudentissimus idem MORGAGNUS non ausus asserere biliares calculos, quos non comitetur dolor, efficere posse apoplexiam; hujus morbi causam esse posse pro certo habet calculos eosdem, si modo doloriferi sint (x) et nuper Clariss. BURSERIUS putat dolorem acutissimum ubicunque excitatum gignere posse apoplexiam (y) Asserit MOLLIUS *Passionem iliacam*,

---

(r) *Element. Physiol. Tom. IV. Lib. X. Sect. VII. pag. 225.*
(s) *Loc. cit.*
(t) *De Morb. Subit. Lib. I Cap. IX. art. 19.*
(u) *Tom. I. Lib. II. Sect. XI. Obs. L.*
(x) *Loc. cit.*
(y) *Loc. cit.*

quæ vel maxime sæviat, spasticam apoplexiam afferre aliquando. Et revera nuperrime affirmari video, nihil, quod sub sensus cadat, observari posse in sectis eorum cadaveribus, *qui a vi dolorum, ad torturam positi subito* extinguuntur (z).

CAP. XI.

De Apoplexia, qua oritur ex inanitione.

121. Exhaustis e corpore humoribus ita, ut qui reliqui sunt a corde acti nequeant cerebri arterias necessaria æquabilitate adimplere, oritur illa, de qua hic agitur, apoplexia: collabuntur enim organa sensus; motusque. Sive spiritus animales, scripsit celeber. TISSOTIUS (a) secerni impediantur, et distribui, sive exhaustis viribus deficiant, oritur apoplexia, qui morbus est ille, in quo nervorum cessat sensus, et ex sensus defectu, voluntaria actio. Hujusmodi vero apoplexia fieri non videtur quidem a cerebri, ut ajunt, compressione.

122. Morbi invasionem præcedunt anxietas quædam præcordialis, difficultas ad motum, pallor faciei, oculorum languor, visus obumbratio, leves vertigines, aurium tinnitus, debilitas magna, membrorum tremor, ac sensuum internorum imminutio.

123. Huic apoplexiæ obnoxii sunt illi, qui sanguinis immodicam quantitatem amittunt, præcipue si id fiat repente: dixit ideo HIPPOCRATES hanc vulneratis accidere. Neque alia præsumenda est causa mortis repentinæ mulierum, quæ aut ex abortu, aut ex partu magnam

---

(z) Frank *Loc. cit. Vol. V. pag. 57. in Adnot.*
(a) *Epist. var. argum. pag. 87.*

sanguinis copiam deperdunt. Sæpe enim tanta fit hæmorrhagia, ut ægræ incipiant deficere, in somnum, et stertorem delabantur, omnes sensus perdant, et brevissime moriantur. Hanc lethalem apoplexiam observavit Clariss. STORCHIUS (b) cum paralysi lateris dextri in muliere, quæ ex nimia quidem uteri hæmorrhagia post horas tres periit convulsa.

SAXTORPHIUS (c) describit mulierem quamdam ab octo mensibus prægnantem, quæ tunc temporis haud raro uteri hæmorrhàgiæ obnoxia erat notabili. Hoc quum incommodum conjectaret Medicus exoriri, ex quo placenta jam sejungeretur ab utero, ipsum fœtum pronunciavit extrahendum. Hisce peractis mulieri quidem sedabatur hæmorrhagia: sed ipsa convulsa periit repente. Hujus subitæ mortis causam repetit SAXTORPHIUS, ex quo utero citius evacuato, vasa cerebri, cordisque de improviso deonerabantur in vasa abdominis: hinc partes corporis mobiliores, cerebrum præcipue, stimulo naturali destituebantur, ac naturali distensione.

124. Consideranda utique est in puerperis hæc humorum copia, quæ quin exeat de corpore, irruit in viscera imi ventris, quæ a fœtu comprimebantur: hujusmodi compressione sublata, irruentibusque illuc humoribus cerebrum iisdem destituatur oportet. Eadem causa videtur mortis repentinæ quæ Paracentesim consequitur in Asciticis; præcipue si magna aquarum quantitas simul, et semel extrahatur.

125. Hinc mihi delitescit ratio, qua SYDENHAMIUS histericam vocat puerperarum apoplexiam, quæ *easdem haud infrequens adoritur*

(b) *Ann. Med. I. Tom. I. pag. 129.*
(c) *Act. Societ. Med. Hauniens. Vol. I. Edit. 1777.*

confestim a partu, magna sanguinis vi simul ejecta (d) Hæc enim apoplexia nequaquam ab hysteria, sed a tanta sanguinis jactura exoritur, ut non satis possit cortex cerebri impleri. Hanc ipsam observavit BOERRHAVIUS (e) post narium hæmorrhagiam: dum enim parabantur illa, quæ sanguinem sisterent, et corpus replerent, æger in talem incidit apoplexiam.

126. Insuper ad hujus speciei apoplexias ea quoque pertinet, quæ nimias alvi consequitur evacuationes; si præsertim hæ a causa irritante promoveantur. Ex violenta purgantium remediorum actione, signanter hellebori, observarunt sæpe Medici subsequutos spasmos, mortemque festinam: idem observarunt in choleræ morbo. Ex hacce causa lethalem vidit apoplexiam STORCHIUS (f) in viro, postquam diarrhæa adeo violenta laboraverat, *ut spatio quinque horarum viginti quatuor pintæ seri biliosi absque ullo dolore ano effluxerint*.

127. Præterea certum est, inediam quoque apoplexiam sæpe facere, senioribus præcipue. Siquis conatur aliquid agere, conatibusque vires corporis nimio jejunio attritæ nequeant obsistere; miserum adoriuntur vertigines, oculorum obnubilationes, mentisque perturbationes; qui quidem tristissimi effectus in veram desinerent apoplexiam, nisi conatus illi intermitterentur. Observatum est etiam (g) canes magna fame extenuatos apoplexia sæpe obiisse.

128. LANCISIUS (h) autem cum aliis et ex nimia venere autumat apoplexiam haud raro,

---

(d) *Dissert. Epist. pag. 89.*
(e) *De Morb. Nerv. Tom. II. pag. 261.*
(f) *Loc. cit.*
(g) Scardona *loc. cit. Lib. I. Cap. I. aphor. 7.*
(h) *De Subit. Mort. Lib. I. Cap. VIII. art. 14.*

maxime in senes, invectam fuisse. Hisce inanitionis, languorisque causis libenter addo cum Clariss. VOGELIO (i) immoderata quidem studia, vigilias nimis productas, meditationes intensas, ac demum diutinam tristitiam. Ab his enim causis nervorum vel maxime delassantur vires.

129. Hæc, de qua hic loquimur, apoplexia marasmo senili finem tandem imponit. *Est apoplexiæ species* ait Illustr. HAENIUS (k) *solo spirituum defectu oriunda, quæ jam pluries intentaverat mortis minas* vetulæ cuidam annum ætatis centesimum alterum agenti, quæ tandem apoplectica decessit. Ab hac repente corripiuntur quoque, affirmante TISSOTIO (l), qui diutinis morbis, præsertim sanguinem dissolventibus conflictati fuere; quique tandem nimis diligunt remedia, quorum nimia assiduitate vires dejiciuntur omnino.

130. Hanc apoplexiam a solo defectu spirituum probat summus BOERRHAVIUS (m) exemplum proferens militum, qui viribus exhausti, et labore fracti dormiunt juxta ipsa bellica tormenta, unde bombardæ ejiciuntur, ad quarum sonitum vix possunt excitari. Imo et ita dormientes sæpe expoliantur, moventur, deferunturque de loco in locum, quin evigilent. Vocat hunc statum *apoplexiam naturalem*, quæ sanatur dum per somnum regenerantur amissa.

(i) *Loc. cit. Part. II. § 559.*
(k) *Rat. Med. Part. IV. Cap. V.*
(l) *Loc. cit.*
(m) *Loc. cit. Tom. II. pag. 259.*

CAP. XII.

De Apoplexia Nervea Sympathica, sive Consensuali.

131. Sicuti immodica nervorum sentiendi vis, atque mobilitas facile efficiunt apoplexiam nerveam *idiopathicam*, sic faciliorem quoque reddunt *sympathicam*, sive *consensualem*. Hinc hujusmodi apoplexiæ, ut vidimus (n. 53.), hypochondriaci, fœminæque hystericæ præ aliis obnoxii sunt. Isti enim sæpe numero solent viscerum abdominalium, artuumque inferiorum spasmis torqueri; quapropter HOFFMANNUS, aliique opinantur earum partium vasa spasmo constringi, sicque sanguinis motum in iis partibus præpediri, aliorsum averti, cerebrumque versus majori impetu determinari: hinc fit aliquando, ut vasa cerebri oppleantur, distrahantur, imo quandoque disrumpantur.

132. Et revera non ne sæpe observamus inter spasmos hypochondriacos, atque hystericos, carotides validius solito pulsare, dum pulsat de more ad carpum arteria? Non ne crebro persentitur quoque enormis illa pulsatio, qua hypochondriacorum, atque hystericarum abdomen immaniter exagitatur, quaque tangentis manus mirum in modum percellitur? Ex quo autem totus succutiatur abdomen, atque ex variis, profundisque punctis exoriatur pulsatio; arguimus haud semper Cæliacæ ramum pulsare, sed Aortam ipsam. Rami, in quos ista dividitur, spasmo coarctantur: hinc in truncos quasi refluit sanguis; sicque per carotides cor majorem illius quantitatem ad cerebrum propellit. Hac ideo ratione ex spasmis abdominalibus gigni potest apoplexia; quæ et facilius enascitur, si nervi etiam pectoris spasmo afficiantur.

133. Hæc porro apoplexia frequentius, quam ferat communis opinio, adoritur illos præcipue, qui sive magnis negotiis, sive severioribus studiis incumbunt. Hujus enim classis viri vix, aut ne vix quidem corpus exercent, dum intercalaribus horis inordinatam non raro agunt vitam. Hinc sæpe nervea corripiuntur melancholia, obnoxiique, ut plurimum, sunt spasmodicis abdominis affectionibus.

134. Ast ex harum affectionum continuatione enascitur haud raro eadem atra bilis: imminuitur enim sæpe diameter tum vasorum hepatis, quæ bilem secernunt, tum aliorum viscerum in abdomine; imo vasa eadem satis arescunt, obstruunturque. Hinc motus bilis lentescit nimis; quæ propterea aliunde nimis densa cunctatur in iis visceribus, eoque inficitur colore, et acrimonia, quæ bilem *atram* constituunt. *Atram* hic loci voco eam degenerem bilem, quæ quum colorem sumpserit nigricantem, aqua diluta virescit; nigra rursus evadens, si aqua evanescat. Hæc autem Priscis forte nimis horrenda, et forte a Recentioribus non satis æstimata suas aliquando metuendas vires exerit in præcordia, quin ventrem infimum linquat: sicque aliquando apoplexiam facit *consensualem*.

135. Quoniam autem de spasmis abdominalibus hypochondriacorum hic sermo habetur, notandum credo, nerveam quoque melancholiam posse in cerebrum inducere metastasim, ut ajunt, nervosam; quin ullum post mortem læsionis vestigium queat observari. Enim vero quanam ratione negari queunt metastases illæ nervosæ, quæ ab actione potius, quam a materie alio translata sæpenumero pendent? Præterquamquod extiterunt, et extant adhuc doctissimi Viri, qui quidem affectiones nervorum opinantur ortas, atque ad tempus vigentes ex

quadam versatili, subtilissimaque materie, a tenuissimo quodam *gaz*, cujus magna quantitas principio nervorum coacervata, licet mortem inducat, adhuc tamen observatori et diligentissimo nullum sui post mortem indicium præberet (10.).

136. Hac de causa ortam putavit LANCISIUS (n) apoplexiam, qua obiit Rever. SPADA. Erat hic staturæ proceræ, habitus ad gracilem tendentis, convulsivo asthmati obnoxius, et tensionibus etiam circa hypochondria. Post frigus, inediam, deliquium, immanesque dolores circa dextræ mandibulæ articulationem, proxime tandem post irregularem totius corporis motum apoplexia corripitur, cui dextri brachii sideratio, oris tortura, auctaque linguæ naturalis hæsitatio illico successerunt: subrubra erat facies, et tensa hypochondria.

---

(10) Burserius *Clariss. loc. cit.* § 108. *innuit apoplexiam hujusmodi vocandam esse metastaticam, hujusque metastasis in cerebro indicia porro non deficere debere. Ast Ille dat materiem illam, quæ* ab imis ventris latibulis, aut ab utero *exoritur, sanguinem densare, ut in cerebri vasis consistere, atque hærere debeat: haud omnes tamen hoc concederent. Magnus quidem* Boerrhavius *de hipochondriacis scribens cum materie sic loquitur.* » *Raro inveniuntur hypochondriaci cum materia, in quibus non simul lædantur functiones cerebri, et nervorum; hinc illi plerumque patiuntur vertigines, cephalæas, donec tandem moriantur apoplectici illæso tamen cerebro* «. *De Morb. Nerv. Tom. I. pag.* 59.

(n) *Repent. Mot. Obs. IV.*

Misso sanguine ex pede, et oleo amygdalino exhibito omnia feliciter progredi videbantur. At postridie tumida, ac subrubra recurrit facies, turbatur mens, convelluntur artus: utebantur Medici anti-epilepticis, vesicatoriis, pediluviis, ac diluentibus, laxantibusque remediis. Utilitate tamen parva nimis. Tandem in femore, et crure dextri lateris efficiebatur, tanquam opportunus decubitus, paralysis. Tunc omnia satis quieta: suppeditabant ægro aquam Nucerianam, emulsiones; neque omissa fuere balnea aquæ dulcis. Moriebatur autem post aliquot hebdomadas præcedente præcordiorum, atque laryngis sensibili strangulatione. Credidit LANCISIUS materiem subtilissimam, et acrem in hoc ægro ex hypocondriis ad cerebrum, et ex hoc per nervos ad universum corpus erroneo motu fuisse transductam.

Plura profecto nervos hujus Prælati ostendebant male affectos fuisse; uti habitus gracilis, asthma convulsivum, tensiones circa hypochondria, aggressio apoplexiæ post frigus, inediam, immanesque dolores; facies subrubra; dextri brachii addatur, si placet, sideratio; præcordiorum tandem, atque laryngis constrictio.

137. Ast aliquando materies illa, quæ morbos nervorum generat, alitque, haud ita tenuis observatur: id patet præcipue, quum ex morbo nervoso tumefiunt artus. In his enim spasmum pertinaciorem deprehendimus, quia ejus causa et minus versatilis, et minus tenuis est. Id etiam patet, quum affectiones nerveæ in quosdam alios desinunt morbos. Aliquando enim observamus hypochondriacam passionem defecisse omnino, Phthysi superveniente (o). Ego quo-

---

(o) Lorryus *loc. cit. Tom. I. pag. 63.*: Mortonus *Phthysiol. pag. 92.*

que paucis abhinc mensibus affectionem nerveam contumaciorem observavi penitus evanuisse, suborta tussi, quam consequabantur dolor oppressivus pectoris, sputumque puriforme; hæc autem observabam in Equite ornatissimo, cui optimus erat corporis habitus. Hypochondriasim quoque retundi vidit Clariss. FRANKIUS (p) erumpentibus lividis, latis, copiosissimis maculis. Itaque si in cerebro istæ metastases factæ fuissent, quæ forte apoplexiam induxissent; et in cerebro procul dubio signa reliquissent morbi conspicua.

138. Cæterum non sola hypochondriasis, sed plures aliæ nervorum infirmitates desinunt in apoplexiam, aliosve morbos ob mutationem situs materiei nervos jam prius occupantis. Video, dum hæc scribo, omnium artuum tremorem, quo jam usque ab adolescentia Nobilissimus quidam Vir vexabatur, evanescere omnino suborta protinus amaurosi, atque dementia. At magis ad rem opinor levis apoplexiæ exemplum describere ab hac ipsa causa exortæ.

Auriga quidam ætatis annorum triginta septem mense Septembris 1787. hemicrania periodica sinistrorsum laborabat: alvo purgata, ac sanguine emisso facile convaluit. Post menses aliquot eum rursus adoritur, sed dextrorsum hemicrania, vi tamen mitior, ac duratione. Expergefactus mane dolore vexabatur leviter usque ad meridium, subinde dolor evanescebat omnino. Post duas, tresve hebdomadas sine remediis optime convaluit: sic mihi retulit ipse.

Per dies circiter quindecim optime se habebat; quum mane repente expergefactum non dolor, sed læsit imperfecta dextri lateris paralysis cum aliqua mentis confusione. A capite

---

(p) *Delect. Opusc. Vol. I. pag. 20. in Adnotat.*

aberat omnis dolor: videbantur illi aquæ guttæ permeare latus totum paraliticum: putabat faciem madere lacrymis, quas manu sana nitens abstergere, nullas esse deprehendebat: brachium dextrum videbatur illi rigere gelu, crus contra ardere. Venæ sectione, tepidisque aquæ dulcis balneis convaluit. Nonne verisimile est eandem materiam, quæ nervis infixam prius hemicraniam, effecisse postea hemiplegiam de prima sede demigrando?

139. At plures extant observationes, ex quibus colligitur unam situs mutationem ejus materiei, quæ nervos occupabat, apoplexiam invexisse. Sexagenaria quædam mulier veteri surditate laborabat: audiebat autem quum ab apoplexia correpta fuisset, dextroque latere paralytica, ac muta evasisset. Imposterum contra, quum et paralysis deficeret, et lingua expediretur, illi rursus impediebatur auditus. Triennio post apoplectica denuo eadem prodebat phænomena (q).

140. Præterea morbos inter, quos menstruatio parit, si difficilis, ac dolorifera, enumerari potest hæc, de qua agimus, apoplexia. Hac de causa apoplecticam quamdam refert LORRYUS (r): » Mulier, inquit, viginti circiter » et quinque annos nata, jamdudum summa » mobilitate prædita, menstruis instantibus, ali» qua perturbata mœstitia, loco solitæ evacua» tionis, oris distortione, somnolentia alta, la» teris unius paralysi corripitur. Uterus et ten» sus erat, et dolore manifesto ad tangentis ma» num afficiebatur. Subsultus aderant in tendi» nibus etiam partis paralyticæ, et vultus præ-

---

(q) *Apud* Tissotum. *Tratt. De Nerv. Tom. II. Part. II. Cap. XI.* §. *68.*

(r) *Loc. cit. Tom. I. Part. I. Cap. V. pag. 115.*

» ter modum, atque rationem lividus sanguinis
» impeditum per venas jugulares arguebat regres-
» sum. Ipsa si e sopore excuteretur mœsta, et
» anxia. Plures per dies status iste perduravit;
» sed eam solvit insperatus successus. Etenim
» cum aliqua partium omnium convulsione illi-
» co et sui compotem, et artubus omnibus exer-
» cendis parem fecere menstrua, quæ copiosius
» fluxerunt «. Qui quidem Auctor haud raram existimat hujusmodi apoplexiam, eamque vocat *spasmodicam*.

141. Quod de fœminis autem dictum est, quibus menstrua difficile, ac cum dolore fluant; id quoque repetendum de iis, quibus solitus hæmorrhoidum fluxus, aut retardetur, aut deficiat omnino. Nonne enim illarum fluxum antecedunt frequenter tum intestinorum flatus, tum maxime universi abdominis spasticæ perturbationes? Facile autem intelligitur, quomodo nervi irritentur in iis, quorum vasa, solito fluxu impedito, distrahantur, ac tumefiant. Sed hæc irritatio non uni fere respondet vasorum pressioni: *latet etiam aliquid misterii*, inquit LORRYUS, in fluxu hæmorrhoidum; hocque evincitur, tum ex atra sanguinis natura, tum ex terribilibus morbis, qui eo impedito fluxu suboriuntur; inter quos enumeranda venit apoplexia.

142. Insuper spasmi, qui ab irregulari podagra, præcipue vero ab ea, quam *atonicam* vocant, excitantur, apoplexiam gignere possunt quum sanguinis circulum satis perturbent. *Fortassis etiam*, inquit MOLLIUS agens de apoplexia biliosa, *quæ arthriticis, et podagricis familiares sunt, apoplexiæ huc referendæ sunt* (s).

Et revera nonne podagrici monentur primo flatibus, nauseis, doloribus circa ventricu-

(s) *Loc. cit pag. 26.*

lum, atque intestina? Si debiliores ergo naturæ vires non amplius valeant podagricam materiem ad articulos propellere; ideoque in præcordiis relicta ibi irritationem faciat, spasmumque, mortem apoplecticam promovere potest, sive spasmum tantummodo cerebro communicando, sive ad illud majorem sanguinis quantitatem propellendo. Idem BOERRHAVIUS de hac re agens habet sequentia: *videtur ergo, quod causa hujus morbi, idest podagræ, non manifesta sæpe hæreat in succo nervoso, sed manifestans se circa nervos abdominales, et quod hinc fiant vertigines, dolores colici, vel iliaci, et apoplexia* (t).

143. Videtur præterea materies podagrica in cerebrum lata, acriterque stimulans invehere posse immediate in cerebrum ipsum spasmos, quibus enascatur apoplexia; quæ quidem *metastatica* dicenda esset. Et revera plerique evasere repente apoplectici vix retroacta podagra. Celeber. autem CULLENIUS (u) conjicit apoplexiam, quæ aut præcedit, aut consequitur podagram retrocedentem, exoriri a quadam potius succi nervei inducta immobilitate, quam, ut ajunt, a *compressione*. Id autem sibi persuadet, quia videntur ab iis ægris omnia abesse phœnomena, quæ cerebri compressionem innuant; pleraque contra adesse unice nervorum, qui male afficiantur, indicia. Hæc igitur quoque apoplexia ad nervosas est revocanda.

144. Sed et sympathica enasci potest aliquando apoplexia a putrefactione, et a maligna qualitate, quam pus in abscessibus internis a capite remotis acquirit; ut inter alios adnotavit

---

(t) *De Morb. Nerv. Tom. II. pag.* 255.
(u) *Instit. Med. Prat. Tom. III. art.* 111.

QUESNÆJUS (x). Hujusmodi venenatum, ut ita dicam, pus non unice erumpendo, sed aliquando etiam abscessu occlusum, aliquando ex illo et guttatim fluens mortem attulit repentinam. Nos quidem latet qua ratione hæc terribilia fiant; sed observatione haud rara istiusmodi comperiuntur effectus. SENNERTUS quidem putabat hanc diram corruptionem, ut et venena, apoplexiam inducere posse. *Quidni*, ait (y), *ergo talis spiritus in corpore generari possit, qui, cum ante quietus latuisset, aliqua causa agitatus et motus; instar venenorum subito in actum erumpat, et spiritus animales a natura sua mutet, et quasi coagulet?*

Neque ego ardenter eos impugnarem, qui hanc mortem potius ex syncope, quam ex apoplexia invectam sustinerent: subderem tamen hasce substantias agere fere in cerebrum primario; sicque eam gignere apoplexiam, quam CULLENIUS, (z) vocat *venenatam*.

145. Sympathicam quidem dicimus, sive consensualem illam quoque apoplexiam, quam gignunt plura venena, statim ac ventriculum ingrediuntur. Plures enim videmus homines ad pristinam sanitatem redire, quum haud nimis sero totum evomuerint venenum. Adeo verum est plura venena stomachum irritantia, sive quomodolibet lædentia perturbare vel maxime cerebrum, nervosque omnes; quin tamen pars ulla veneni aut in sanguinem influat, aut illi communicetur, aut in cerebrum ipsum quomodocunque feratur.

(x) *Memoires de L' Acad. Roy. De Chirurg. Tom. I. Part. I. pag. 93.*

(y) *Tom. I. Lib. I. Part. II. Cap. XXXIII. Quæst. III.*

(z) *Synops. Nosol. Meth. pag. 137.*

146. Aliquando fungi quoque hunc dirum pariunt effectum. Subitam mortem ex fungorum esu adnotavit BONETUS (a). Clariss. LUPINUS (b) exemplum habet apoplexiæ ex esu fungorum natæ, quam vomitorio sanavit. Celeb. Eques ROSA (c) dulcem memorat amicum, qui, quum quosdam fungos comedisset, horrens, furensque credebat semetipsum gehenna sepultum. Vix fungis rejectis exhilarabatur, atque sanabatur.

147. Inter cœteros idem citatus Doctissimus Auctor opinatur Opium quoque tantos præstare effectus, quorum pessimus est apoplexia, quum agat præcipue in stomachi nervos: et revera ab illo ejicitur sæpe ejusdem omnino ponderis, quo, quum deglutiretur, constabat; licet suas in nervorum præcipue imperium jam exeruerit vires. Nihil tamen prohibet, quin pars aliqua Opii halituosissimi ab hostiis vasculorum inhalantium absorbeatur, quæ vel sanguiferorum vasorum nervos afficiens actionem, vel impressionem, primo loco factam augeat; vel cum sanguine peragrans, ejus crasim immutet. Resolutio equidem putrida sanguinis, et alia putredinis indicia, quæ in cadaveribus ex Opio exanimatis observantur (d), probare videntur illud per os ingestum haud unice viis primis coerceri. Quidquid sit tamen, huc utique revocanda, quam memorat SENNERTUS (e), *ex narcosi* apoplexiam.

(a) *Sepulcr. Lib. II. Sect. XI. Obs. 39.*
(b) *Histor. Morb. diffictl. Ratisbon. 1768.*
(c) *Saggio di Osservazioni pag. 186.*
(d) Portal *Loc. cit Chapitr. V. pag. 352. et* Murray *Apparatus medicaminum Vol. II. Ord. XXI. pag. 187. Edit. Ticin. 1787.*
(e) *Tom. I. Lib. I. Part. II. Cap. XXXIII.*

148. Sed et purgantia, quæ nimis stomachum, et intestina irritent, eadem aliquando ferunt mala. Describit HOFFMANNUS (f) in fœmina dum sumebat pulverem ex resina jalappæ, et tartaro vitriolato confectum, non modo vehementissima tormina, verum etiam unius lateris paralysim cum aphonia, brachiique contractura molestissima: curata fuit antispasmodicis, nervinis, et oleosis demulcentibus.

CAP. XIII.

De Apoplexia signanter Biliosa, qua inter sympathicas frequentior observatur.

149. Apoplexias inter sympathicas, sive consensuales ea profecto mihi frequentior videtur, quam *biliosam* dicunt. Neque biliosam eam unice voco apoplexiam, quam una parit bilis stomacho, aliisve, ut ajunt, primis viis coacervata; sed eas omnes juxta plurimorum doctrinam, præcipue Doctissimi MOLLII (g), biliosas appello, quæ ex quapiam morbosa primarum viarum saburra efficiuntur, aut ex viscerum vitio, quod bilis colluviem promoveat.

Adnotaverat quidem mirum hunc effectum, quo ventriculus gravatus cerebri functiones turbat, HELMONTIUS (h) dicens: *Si autem suboriatur mucilago putida ad amarorem prona vertiginem, et fortius insurgens apoplexiam suscitat*: quam sane inferri minus dubitabit a pravis ad præcordia collectis humoribus, et a vitiata viscerum hypochondriacorum conditione,

---

(f) *Adnot. ad* Poterium *Centur. I. Cap. LXXIX.*
(g) *Disser. De Apoplexia Biliosa pag. 22.*
(h) *In Capit. A sede animæ ad morbos §. 12.*

qui mente perpendat vitia, quæ in hypochondriis apoplecticorum ostendit sæpe cadaverum sectio, uti præ aliis adnotavit SCHROEDERUS (i).

150. Hanc promovent apoplexiæ speciem ira, mœror, ingluvies, cibus pinguis, ac facile putrescens, labor nimius, æstivum Cœlum, et autumnale. Illi vero præsertim huic morbo obnoxii sunt, qui hypochondriorum vitiis, stomachi indigestionibus, vomitibus spontaneis, diarrhæis biliosis, atque cardialgiis sæpe vexantur; qui oculos produnt aut ad flavedinem vergentes, aut cum modica flavedine subvirentes; linguam vero flavescente, vel albescente viscositate obductam. Nec minus eidem morbo obnoxii sunt, quorum labia exsicca, os amarum, saliva insipida, abundans, atque spumescens: quæ vero indicia augebunt anorexia, ructus amari, anxietas tandem, repletionisque sensus ad præcordia.

151. Quare si apoplexia corripiatur, qui prius ostenderet aliquas, seu plures supradictarum dispositionum, haud equidem a ratione aberrabis si talem ægrum asseras correptum apoplexia consensuali, quæ a regione hypochondriaca originem duxerit.

152. In quo quidem confirmaberis ulterius si diebus autumnalibus id accidat, si morbi congeneres eodem tempore grassentur, si æger valde sensilis, et irritabilis periodicas patiatur vertigines, si ætas sit virilis, si arteriarum pulsus neque magnus, neque pressioni valde resistens, sique præcipue apoplexiam hujusmodi præcesserint acutissimæ cephalalgiæ: quarum indolem, et causam ex earum ipsa intentione gastricam

---

(i) *Loc. cit. pag.* 36.
(k) Scholl. *Rat. Med. Part. III. pag.* 201.

esse dignoscimus, nullatenus inflammatoriam (k).

153. Haud rara quidem sunt biliosæ apoplexiæ exempla. Plerosque apoplecticos profert biliosos Clariss. MOLLIUS; duos autem memorat, quos refert Clariss. MEDICUS: æger uterque apoplexia periodica defunctus est: secto utriusque cadavere, summaque diligentia perlustrato, nullum morbi vestigium in cerebro apparuit; primæ autem viæ patuere refertæ materiis biliosis, quibus membranæ, proximæque partes supra modum conspiciebantur fœdatæ.

Auctor idem præterea meminit aliquorum, quorum apoplexia omnino evanuit postquam ipsi, aut sponte, aut remediorum ope biliosas materies evomuissent. Postremo quandam describit apoplecticam, quam Ipse observavit. » Mulier « quædam, ait, aliquot annos ante insultum » apoplecticum hæmoptoe correpta, et ab ea » liberata est. Mox in dysenteriam incidit, e » qua venæsectionis, evacuantium, et acidorum » auxilio iterum convaluit. Deinde febre bilio» sa correpta est, a mœrore, et curis nata, » qua profligata brevi post inter ludendum in » apoplexiam incidit. Oculi erant flavedine tin» cti, et pupilla valde dilatata apparuit; lingua » sordibus albis obducta fuit, venter tumuit, » et alvus adstricta fuit. Purgantia, repetitaque » venæ sectio eam in pristinam restituerunt sa» nitatem. «

154. Duo subitæ mortis exempla a subito bilis in ventriculum affluxu adnotavit BONETUS (l). Monuerat jam summus BOERRHAVIUS (m): *totum systema nervosum in capite turbari posse, nullo vitio in cerebro existente, sed illo tantum in præcordiis, vel ventriculo hærente.*

(k) Stholl. *Rat. Med. Part. III. pag.* 201.
(l) *Sepulchr Lib. II. Sect. XI. Obs.* 34. *et* 36.
(m) *De Morb. Nerv. Tom. II. pag.* 144.

Præceptoris doctrinam confirmavit Illustr. ejus Auditor, ac Commentator SWIETENIUS (n) exemplo cujusdam viri, qui inter amicos apoplexia tactus procubuit humi: post horæ quadrantem magnam pituitæ quantitatem præter ingesta vomitu spontaneo rejecit: hinc sensu rursus viguit, motuque; imo vero post noctem quieto somno traductam optime valens futuros elusit hæredes, qui, nuntio de ejus morte audito, festinanter illuc convenerant.

Non sponte, sed arte excitato vomitu parem exitum habuit affectio apoplectica cujusdam Agricolæ ætate annorum octo supra viginti. Hic mense januario, in quo biliosæ dominabantur pleuritides, domum ingrediens suis coram domesticis querebatur satis: nutabat enim cruribus, viribus deficiebat, incertoque intuitu vexabatur: subinde sedenti sensim increbuit morbus, evanuit mens, os apparuit detortum, ac dextrum crus sensu, motuque orbatum; arteriarum vero pulsus videbantur naturales, vix tamen pressi digito cedebant. Suppeditatum fuit ægro tartarum emeticum cum Ipecacuanha, quo magnam ejecit materiei flavæ, viridisque copiam: continuo ipse mente vigebat, componebatur ore, ejusque crus post octo dies sensu pollebat, ac motu. Ast aliud quoque hujusmodi apoplexiæ liceat hoc loci describere exemplum.

Reverendissimus N. N. ætate annorum triginta trium, optima corporis structura, magnaque nervorum sensibilitate præditus me dudum consulturus adivit, quum de quadam oculi sinistri debilitate quereretur. Hæc, quæ sequuntur mihi prænarrabat Ille: » Vir dignitate summus » nuper me incusavit, acriterque arguit, inju-

(n) *Comment. Aphor.* 1017.

» ria. Ego satis perturbatus animo me cœpi » male habere: progressu dierum, os mihi amarescebat, lingua fœdabatur satis, a cibis ni» mium abhorrebam. Subinde crura, et pedes » frigescebant, totum corpus agitabatur; a so» mno oculi alienabantur: die autem sequenti » quodam deliquio deficiebam, vix incedere po» teram, cogebarque caput inclinare. Accito » Medico secta fuit vena, leniterque laxata al» vus; hinc levabar ita, ut iter potuerim mil» liarium viginti quatuor vigens conficere. Ast » haud perfecte valebam: ideo mane sequenti » dosim sumpsi modicam cassiæ cum tartaro, » ex qua res in melius vergere videbantur. Re » tamen vera post horas aliquot omnia rursus » in pejus ruebant. A cibis enim abhorrebam » quam maxime, crura, et pedes gelu quodam, » totum corpus inquietudine, molestisque ven» ter flatibus vexabantur.

» Quapropter sub horam diei vigesimam al» teram, ut mihi mærore confecto consulerem, » convisurus adibam amicum. Sed in ejus aulæ » limine corripiebar apoplexia; quod quidem » elata voce innuebam auxilium implorans: len» te sedi; mens aliquantulum obtenebrabatur; » crura gelu majori rigebant; totum corpus tor» pescebat, cor palpitabat: sub ore frontis quæ» dam veluti constrictio, sub splene vero quæ» dam distractio cum summo dolore domina» bantur. Ego vero natura ductus manu tenta» bam qua parte dolebam; at manus paralytica » opem renuit: tunc me sensi hemiplegia læ» sum latere lævo, quod tamen nec motu, nec » sensu caruit omnino. Os detorquebatur; post » aliquot tamen horas in statum pristinum re» diit: lingua implicabatur omnino, oculusque » sinister suam extra orbitam videbatur depressus.

» Post horas aliquot a secta tum brachii, » tum pedis vena, emeticum ex Ipecacuanha

» suppeditarunt, quo magnam evomui bilis flavæ, viridisque copiam. Subinde per horas octo in pejus ruebam; præcipue vero cognitio mihi imminuebatur vel maxime. Mane autem sequenti valde solabar. Imposterum me curare continuabant lenibus purgantibus repetitis, venæque sectionibus, quarum post quartam, quæ fuit jugularium, ita male me habui, ut mortem mihi imminentem per dies plures putarem. Progressu temporis tamen omnia paullatim optime restituta sunt: reliqua solum est in præsentia oculi læsio, qua super te consulturus adveni «. Sic ille. Ego vero, rebus mature perpensis, oculi sanitatem perfectam brevi consecuturum prædixi, quin ulla exhiberem remedia. Id autem factum fuisse post aliquot hebdomadas lætatus sum: nunc temporis vero optimus ille Vir bene viget omnino.

Plures forte offeret Lectori animadversiones hujus morbi historia. At siquis umquam apoplexiam huc usque descriptam ad simplices spasmodicas potius, quam ad biliosas spectare opinaretur; illi, meo quidem judicio, respondendum esset, bilis tum quantitatem, tum qualitatem, quam æger evomuit, satis confirmare, quod de eo morbo sentiebat Medicus, quem magnifacio. Phænomena vero spasmodica ad ægri pertinent sensibilitatem, atque summam irritabilitatem, quæ quidem, ut supra diximus, habent quam maxime apoplexiam quamcunque promovere consensualem.

155. Triplici autem modo videtur bilis humana apoplexiam gignere posse. Primo nempe, quum illa stomacho, ejusque viciniis insidens agit per solum, ut ita dicam, consensum in cerebrum ipsi spasmum communicando. Secundo, quum (quod forte ut plurimum accidit) invehit in caput majorem sanguinis quantitatem, sive ejus impedit regressum, ex quo con-

gestiones ibi fiant, et hæmorrhagiæ (11). Ac revera ex causa hujusmodi in primis viis agente exortas observamus opthalmias, ac narium hæmorrhagias, quæ tamen evanescunt emeticorum usu, atque purgantium. Tertio vero, quum illa eadem bilis satis corrupta, et absorpta una cum sanguine circumit: tunc enim vires suas irritantissimas exerere potest immediate in cere-

---

(11) *Materies, qua insit stomacho irritans sape precludit sanguini reditum a capite. Constat enim experimentis motum diaphragmatis interrumpi. ac respirationem, si nervum phrenicum comprimas, vel irrites* (Haller *Elem. Physiol. Tom. III. Lib. VIII. Sect. I.* §. 38.) *Hoc autem phanomenon videtur quoque futurum Clariss.* Comparetto (*Occurs. Medic.* §. *CXI.*) *siquidem irrites vel funiculos, qui pervadunt fibras diaphragmatis cum vasis sanguineis, vel in ventriculo ramos plexus nervi Octavi paris, quoniam ab hoc plexu* surculi, cæterum ventriculo dato ad Septum transversum accedunt, *ut notat loc. cit.* Hallerus. *En qua ratione acris materies ventriculo inharens respirationem valde impedire queat, sanguinisque reditum a cerebro pracludere, hinc vero apoplexiam efficere.* Refert Orteschius (*Giornale di Medicina Tom. III. n. 51.*) *lacrymandum juvenis cujusdam Vicetini fatum. Ipse structura corporis, viribus, valetudine satis vigens, natura vero irritabilis valde, sensibilisque, et nimis edax; repletus pane, non quidem communi, sed acriori ex nimia fermenti quantitate, quo forte abutuntur Vicetini, pectore repente angustiabatur cum spasmo insuperabili : hinc anno atatis sua vigesimo quarto obiit apoplecticus, et insecto cadavere inveniebatur stomachus eo pane refertus.*

brum, apoplexiamque efficere. Et enimvero Cla. riss. STOLLIUS (o) observavit cerebri cujusdam substantiam *modice ictericam*.

156. Bilis autem facilius, quam humor quilibet animalis, aliquando corrumpitur adeo, ut in speciem veneni vigeat, noceatque. Quod quidem confirmatur vel maxime ab observatione diligentissimi CICOGNINI quam refert MORGAGNUS (p) Adolescens quidam extenuatus tertiana febre, periit convulsus. Dissecto abdomine præter alia morbi vestigia, inventa est stomacho magna bilis æruginosæ copia, cujus attactu scalpellus violaceo colore inficiebatur. Eumdem scalpellum eadem bile stillantem in carnem unius, et alterius columbi cum leviter impressissent, ita ut bilis intra vulnus remaneret; haud multo post uterque, ac convulsus periit. Quin etiam mica panis, illa admixta bile, a gallo gallinaceo devorata, hic quoque parem habuit exitum.

PORTALLIUS (q) quoque tres nuperrime affert observationes, ex quibus colligitur bilem aliquando ita acrem evadere, ut in speciem atrocioris veneni videatur agere. Vidi ego aliquando vim corrodentem, quam bilis ab ægris rejecta exercuit in metallicas æruginosas pelves, quibus recipiebatur. Quam sæva igitur erit ejusdem actio, ac virulenta in stomachi nervos, atque in præcordia, quibus insideat?

157. Ac revera a bile in præcordiis coacervata, et ab aliis primarum viarum sordibus congeneres apoplexiæ affectiones exoriri sæpe observamus. Haud raræ quidem sunt paralyses, quas gignunt degeneres materiæ, atque irritantes in-

---

(o) *Rat. Med. Part. III. pag. 388.*

(p) *Epist. An. Med. LIX. n. 18.*

(q) *Observations ec. Chapitr. V. pag. 482. et suiv.*

fimo ventre insidentes. Neglecta hujus colluviei evacuatione dysenterici evadunt aliquando paralytici. CAROLUS PISO (r) historiam narrat Virginis cujusdam, quæ de repente hemiplegia correpta est: convellebatur præsertim parte capitis posteriore cum oris tortura, adstrictione maxillarum, totiusque corporis torpore. Vix tamen bilem multam evomuit, omnino convaluit. Clariss. STOLLIUS (s) quam plurimas ostendit esse phrenitides consensuales; quæ nempe a bile, aliave putrida materie primarum pendent viarum. Omnes pene norunt, deliria sive acuta, sive chronica, utplurimum excitari a materie corrupta, atque vellicante præcordiis insidente. Neque enim hujusmodi deliria evanescunt, nisi ea materies, quæ fere semper biliosa est, eliminetur.

158. A colluvie primis viis hærente non semel terrentes observavi sopores. Hoc unum sufficiat exemplum. Ab humanissimo Clararum PRÆPOSITO inventus est publica via Gallus quidam mortali sopore occupatus, cui quidem adstabat uxor gemitibus auxilium implorans. Illo curante adsportabatur æger ad Xenodochium, ubi ego aderam Medicus. Uxor interrogata mihi negavit virum sumpsisse cibos, aut potus, qui tantum adferre possent detrimentum: fatebatur autem eum præcedentibus diebus, a cibis satis alienum, morbosaque siti, ac lassitudine laborantem: nuper vero aliquid quietis captare volentem teterrimo illo sopore oppressum fuisse. Pulsus nil durescebant; videbantur contra molles, ac vix febriles. Curavi ut æger aliquot tartari emetici grana deglutiret: excitabatur vomitus, sed levius; soporque persistebat. Jussi

(r) *Lib. De Morb. ex Seros. Colluvie Obs. XIII.*
(s) *Loc. cit. Part. III. De Caus. et Sed. Phrenitid.*

validiorem ejusdem emetici dosim propinari, qua ille magnam bilis viridantis, oleosæque quantitatem evomuit. Repente sopor evanuit, convaluitque æger omnino.

Legitur in Sepulchreto (t), bilem subfuscam, quæ vesicam felleam distendebat, causam fuisse mortis in puero, qui sævissima cephalalgia excruciatus aliquando, subsequente tandem sopore periit. Nullum enim in cerebro vitium inveniebatur.

159. Aphoniam quoque ex hac eadem causa genitam observavit PROSPER ALPINUS, quem citat MOLLIUS (u), eamque observavit ex ventriculi vitio SIMSONUS, quem memorat HALLERUS (x). Vidit etiam HOFFMANNUS (y) sæpe aphoniam a vermibus stomachum, aut intestina vellicantibus; et ex verme terete cum involuntaria fæcum dejectione aphoniam vidit SWIETENIUS (z); imo, et ex binis vermibus adhuc vivis vomitu ejectis catalepsin conspexit mulieris quadragenariæ (a). CULLENIUS in sua Nosologia jam *verminosam* adnotavit apoplexiam.

160. At vis apoplexifera colluviei biliosæ colligitur quoque ab iis apoplexiis, quas veluti epidemicas observarunt Medici aliquando. Istiusmodi enim apoplexiæ videntur quidem ex vitiata saburra, præsertim biliosa, primarum viarum exoriri, quum iis temporibus frequentiores sint causæ, quibus bilis vitiata solet infimo ven-

---

(t) Bonet. *Tom. I. Lib. I. Sect. I. Obs. 37.*
(u) *Loc. cit. pag. 28.*
(x) *Loc. cit. Tom. IV. Lib. X. Sect. VII. pag. 224.*
(y) *Med. Syst. Tom. IV. Part, IV. Cap. VII.*
(z) *Aphor. 1364.*
(a) *Aphor. 1040.*

tre coacervari. Et revera MALOVINUS (b) Parisiis observavit apoplexiam velut epidemicam decurrentibus mensibus Junio, Julioque anni 1748., a qua corripiebantur homines cujuscunque ætatis, et pueri etiam. Adnotabat Ille tamen aerem eo mense Junio præter solitum humentem æstuasse, hominesque fuisse valde vexatos biliosis tum vomitibus, tum diarrhæis.

161. Verum quidem est easdem apoplexias homines afficere quoque, quum tusses sæviunt, ac rheumatismi, ideoque eædem quoque conjici possent genitæ a cutanea suppressa perspiratione. At quoties tusses, affectionesque rheumaticas una cum bilis colluvie conjunctas observamus? STHOLLIUS inter alios tussim jam descripsit *stomachicam* (c) *biliosum* rheumatismum, *biliosumque* catharrum (d). Cæterum videtur quidem frequentiores epidemicas futuras esse apoplexias, si eas efficeret una tantum perspiratio aut impedita, aut imminuta.

162. Plures quoque opinantur hujusmodi apoplexiam exoriri aliquando tum ex bile, quæ in cystide coagulata in calculos concrescat, tum ex calculis renum, atque vesicæ. Et revera si biliares calculi præter cardialgias, anhelationes mortales, aliosque morbos, invehunt spasmos perviolentos in omnes corporis partes, præcipue vero in occiput, ut adnotabat TISSOTIUS (e); cur ex iis gigni nequibit apoplexia hominibus præsertim, qui nervis sensiles sint valde, mobilesque?

(b) *Histoir. et Memoir. de l' Acad. Roy. Des Scienc. ann. 1748. pag. 552. et pag. 553.*
(c) *Rat. Med. Part. I.*
(d) *Loc. cit. Part. II. Cap. XI.*
(e) *Tratt. De' Nerv. Tom. II. Part. II. Cap. X. §. 41.*

Hisce de causis apoplecticus obiit celebris MALPIGHIUS, uti refert BAGLIVIUS (f). Ille enim evomuit biliosa, alvoque dejecit; cordis palpitatione, calculis tum renum, tum vesicæ, postremo, et podagra laboravit; subinde præcedentibus curis, animique passionibus apoplecticus evasit cum hemiplegia lateris dextri. Convalescebat: at post menses quatuor, rursus calculo vesicæ per dies octo excruciatus, apoplexia rursus corripitur, qua tandem vita decessit.

163. Alia quoque extat *consensualis* apoplexia, quam facit causa infra diaphragma existens, quaque solent corripi senes præsertim debiles, frigidique. Hujusmodi causa est pituita quædam, quam primis viis fluctuantem coacervare solet solidarum partium, et præcipue vasorum hypochondriorum debilitas. Hic morbus a nausea incipit fere semper, subinde in vertigines convertitur, desinit tandem in apoplexiam.

Literatos præsertim homines senescentes, qui motu abstinent, huic morbo esse obnoxios adnotavit BOERRHAVIUS (g). In ejus initio levari videntur vomitu, calidisque potionibus. Quum vero his de causis vasa relaxentur magis, magis augetur in iis pituitæ copia, quæ tandem mortiferam gignit apoplexiam.

164. Nuper quoque SCHOENHEIDERUS in primo volumine Actorum Societatis Medicæ Hauniensis narrat de quodam apoplectico, qui usu convaluit emeticorum: iis enim magnam e stomacho crassioris muci copiam ejecit. Hanc apoplexiæ speciem vocat Auctor *cardialgicam*; hoc est e ventriculo oxorientem, qui magna muci copia opprimebatur. Paralysis numquam,

(f) *Opera Omnia Dissert. De Observ. Practic.*

(g) *De Morb. Nervor. Tom. II. pag.* 255.

utipse subdit, subsequitur hanc apoplexiam, quæ curatur emeticis.

165. Quid vero dicendum de hoc hemiplegiæ defectu, licet non illico moriatur æger? Numne putandum paralysim abesse, quod morbi causa, sive materies non subtilis sit, sed densa imo, et crassa; ideoque comprimens potius, quam nervos irritans? Numne rarior saltem est hemiplegia, quum apoplexiæ causa in uno dominatur ventriculo? Numne tunc solum subsequitur hemiplegia, quum morbus unice sympathicus evasit jam idiopathicus facta in cerebro congestione? Vix quidem per vomitum ejectis tum cibis, tum magna pituitæ copia convaluit apoplecticus, cujus meminit SWIETENIUS, ut supra retulimus (n. 154.), nullam de ejus hemiplegia mentionem faciens.

166. Ego quoque nuper hæc observabam. Venerandus quidam Cœnobita jam a biennio octuagenarius vertigini haud raro obnoxius, pro sua tamen ætate satis vigens, per triduum, quatriduumve offas crassiores, spongiosasque ad excessum edebat: subinde aphonus evasit de improviso; ab illo autem aberant tum quælibet sensatio incommoda, tum ad somnum proclivitas. At brevi latinum aliquod verbum, licet inconcinne pronunciat, mentis deordinatæ indubia proferens indicia. Stratus lecto facie rubebat modice, oculisque; naturalis erat respiratio, arteriæ pulsus sufficiens, sed nimis tardus; nullumque in ægro paralysis, sive ad vomitum inclinationis indicium. Monasterii Medicus jubet copiosam sanguinis emissionem, subinde cucurbitulas, quæ scarificarentur: die sequenti coxendicibus, et tertio die occipiti vesicatorium apponunt; at res in pejus ruebant. Hæc mihi referebant die morbi quarta, qua fui consultus.

Ego vero observabam ægrum jam aliquantulum stertorose respirare, neque verba nostra,

neque rudem vesicatoriorum perfricationem sentire: arteriarum pulsus ad excessum tardabantur, oculi semiclaudebantur, multaque saliva fauces impediebantur, quin ulla corporis pars paralytica conspiceretur. Remedium satis purgans præcepi, quod vix paullatim deglutiri potuit: post horas aliquot alvus copiose deoneratur, æger pallet, deficit, ac morti proximus videtur. Spirituosis, ut ajunt, adjutus oculos reserat penitus, adstantes probe noscit, loquitur, convaletque.

167. In hoc quoque ægro paralysim nullam, ac pro certo morbi causam ventriculo tantum insidentem deprehendimus, aut intestinis. Quamobrem, si harum observationum numerus augeri posset, paralysis defectus, præsertim si alia quoque adsint signa, haud inepte hanc præsertim apoplexiæ speciem forte innueret. Notatu de cætero dignus magis videtur hujusmodi hemiplegiæ defectus, quum illa imo soleat comitari, aut subsequi fere semper apoplexiam, nisi cito vita defungatur æger: *ex centum apoplecticis*, inquit SCHOMBERGIUS (h) *qui sanantur, vix unus evadit a paralysi aut unius partis, aut lateris unius*. Ad distinguendam ergo apoplexiæ speciem, haud parvi momenti esse potest hemiplegiæ defectus.

168. Siquis autem ægros, de quibus hic loquimur, *caroticos* potius diceret, quam apoplecticos; multa, quæ haud rationi absona responderi possent, omittam: id tantum subdam, quod nempe *carus* est apoplexia *minor* plurimorum magni nominis Auctorum; et quod utilius habeo morbum describere, quam ejus speciem subtilius sancire.

169. Postremo non solum nervea videtur

(h) *Aphor. Practic. De Apoplexia.*

dicenda apoplexia, quam gignunt febres perniciosæ intermittentes, sed videtur etiam huc revocanda. Clariss. enim RAHNIUS (i) affirmat, plerumque nulla læsionis indicia protulisse cerebrum eorum, qui ex febri perniciosa intermittente apoplectici obiere. SYDENHAMIUS vero, TORTIUS, atque WERLHOFIUS hoc dirum symptoma perturbationi viscerum hypochondriorum tribuunt, ac bilis corruptelæ: hanc sententiam confirmant alii quoque Clariss. Viri, inter quos SENACUS, MONROUS, et MEDICUS, quibus bilis præsentia tam evacuationibus, quam cadaverum sectionibus sese manifestavit (k).

170. Ast objicies forte: siqua bilis primis viis turgescens apoplexiam hanc efficeret; haud tolleretur a China-china, ut sæpe; neque ab Opio, ut aliquando videmus. Id autem respondendum puto, quod nempe ex successu horum remediorum probatur solum spasticam fuisse causam proximam istiusmodi apoplectici soporis; sed ex eo negare nequimus causam remotiorem biliosas sordes, ut innuebamus, esse potuisse.

171. Dignoscetur vero præsertim periodicam esse apoplexiam, si fibres grassentur larvatæ, si æger aliunde non sit proclivis ad apoplexiam; sique hæc post horas octo, aut duodecim ab ortu suo evanescat omnino. Res vero magis, magisque patebit si febris intermittentis adsint indicia, in quibus recenseri solet urina, quæ sub finem accessionis intense flava, mox jumentosa, demum lateritia fiat; quod tamen indicium haud raro deest in larvatis intermittentibus. Et ipsa omnino deest aliquando horripilatio: nuper enim hujusmodi larvatam febrim observabam, cujus accessiones nulla hor-

(i) *De miro Capitis, et Abdominis Consensu pag. 78.*
(k) Selle *Rudimenta Pyretologiæ Meth. Ord. IV.*

ripilatione, sed odontalgia molestissima incipiebant. Quamvis autem variimoda sit harum febrium aggressio; in eo cæterum illæ conveniunt, quod epidemice plerumque grassentur.

CAP. XIV.

De Apoplexia Sympathica ex causis pectori insidentibus.

172. Nemini difficile est intelligere, spasmum, qui viscera pectoris, ejusque vasa dominetur, gignere apoplexiam posse. Facile enim deprehendimus sanguini e cerebro regredienti satis obstare spasmum, qui tum pulmones obstringat, tum vasa referentia uti jugulares, tum denique musculares fibras (quod facillimum est juxta WALTHERUM (l), quæ venæ cavæ superioris circumstant hiatum. Quo quidem regressu impedito nonne facile intelligimus exortam apoplexiam? Sed etiam cor, ac vasa crassiora, quorum musculares fibræ satis sensibiles sunt, atque irritabiles, in ægris convulsis patiuntur quammaxime; ac turbæ, quæ hinc exsurgunt, in cordis præcipue motibus, apoplexiam inducere possunt.

173. Id autem accidere potest iis aliquando, qui asthmate torquentur convulsivo. In his tamen, si senes præsertim essent, oppositum sæpe, ut verum fatear, observavi; sanguinem nempe in eorum cerebro deficere; namquam in ipsorum deliquiis phœnomena syncopis, apoplexiæque *ex inanitione* deprchendi potius, quam nimiæ sanguinis copiæ cerebrum opprimentis.

(l) *Apud* Tissot *loc. cit. Tom. II. Part. I. Cap. IX. pag.* 254.

In juvenibus autem bis, ut videbatur observavi brevem asphyxiam, quum morbus ad gradum pervenerit maximum.

174. Alia quoque ratione vitiata materies, quæ pectori insidet, efficere potest aliquando apoplexiam, si nempe aliquo modo in nervos cerebri translata ibi spasmum cieat. Metastasim hujusmodi prodebant duo, quos asthma convulsivum vexabat diu: insperato evanescentibus morbi symptomatibus, per aliquod temporis solabantur ægri. At subinde post leves mox unius, mox alterius membri subsultus improviso sopore, atque lethali perempti sunt. Hoc idem summe dolens observavit in Matre experientissimus Medicus, suavissimusque amicus meus MEZERA. Diutino torquebatur Illa asthmate convulsivo cum aliqua muci excretione: abfuit tandem omnis anxietas, abfuit asthma, sed post aliquos menses videbatur convulsa, subinde vero moriebatur apoplectica.

Meminit BONETUS (m) Theologi cujusdam, qui apoplecticus obierat; secto ejus cadavere nihil morbosi in cerebro inveniebatur. In thorace tamen pulmones discolores, et hicore spumoso infarcti apparuerunt: hinc conjectatum fuit aliquam ichoris illius portionem infecisse succum nerveum, sicque invectam fuisse apoplexiam. At jam dici potest portionem aliquam ichoris absorptam, et in nervos cerebri detentam effecisse morbum hujusmodi. Hac quidem de causa videntur plures phthysici mori repente, quæ apoplexia dici posset *metastatica nervosa*; cujus ecce exemplum.

Virgo quædam vigesimo altero ætatis anno laborabat phthysi: antequam ad summam devenisset maciem, solitum illi defecit sputum, quod

---

(m) *Sepulcr. Lib. I. Sect. II. Obs. 57.*

quidem mediocre a duobus mensibus ejicere præcipue mane solebat. Post dies aliquot, quin esset anxia, confundebatur mente, subinde evadebat amens omnino, ac de repente interibat.

175. Difficilius quidem est intellectu, quo modo causæ irritantes, sive prementes, quæ pectori hærent, paralyses quasdam aliquando, atque apoplexias gignant, quæ solis videntur tribui posse sympathiis, ut ajunt, nervosis. Hujus generis aliquatenus esse videntur paralyses illæ, et leves apoplexiæ, quæ illico exoriuntur sputis imminutis, sive omnino snpressis; quibus vero redeuntibus expedite evanescunt, atque omnino.

Huic quoque sympathiæ libens adscribo convulsiones, quas haud raro observamus in phthysi tuberculari, quum mane præsertim nequeunt miseri ægri sputa exhaurire: omnis autem convulsio quiescit statim atque semel expuunt, aut bis. Si enim a cerebro compresso ob impeditum sanguinis regressum; sive a metastasi materiæ de prima sede demigrantis orirentur istiusmodi convulsiones, levesque apoplexiæ; non video quomodo tanta facilitate, tantaque celeritate evanescere possent paucis eductis sputis, sive auctis aliquando.

176. Id mihi tamen persuasissimum est, quod asserit celeber. CALDANIUS (n); plura nempe morbosa phænomena, quæ perperam communicantibus nervis tribui solent, a sublata circuli æquabilitate fortasse oriri impeditaque communione; quod quidem sæpe evenire potest ob communicationem spinalium arteriarum cum cervicalibus, dorsalibus, lumbaribus, et sacris.

177. Hoc autem loci plures memorari possent paralyses, atque apoplexiæ, lenes quidem

---

(n) *Institut. Physiol. Cap. XIV. n. 191.*

ut plurimum, sed aliquando et lethales, quas Antiqui observarunt, Recentioresque cum præcedente nervorum pectoris irritatione, seu pressione. Huc revocat Ill. HAENIUS (o) etiam paralysim, qua super sic effatus est HIPPOCRATES (p): *si aorta appellata valde inflammata sunt* (bini scilicet Tracheæ rami), *ut ad latus assideant, hac corporis parte resolvuntur: hos autem Veteres ictos, aut sideratos vocabant.* Verum hæc sideratio ex sæva peripneumonia exorta, ac fere semper lethalis a cerebri potius compressione pendere videtur, quam a sola, ut ajunt, sympathia (12). Alias vero plures adnotavit HIPPOCRATES (q) in tussientibus, et in anginosis paralyses, quæ solis quidem sympathiis aliquatenus saltem tribui posse videntur.

178. Illustr HAENIUS duarum mulierum, virique paralysim, initiumque apoplexiæ observavit, quam vera consequebatur hemiplegia (r). Tres hujusmodi ægri vomica pulmonum laborabant: paralyses autem eorum, initiumque apoplexiæ suppressioni sputorum succedebant; qui-

---

(12) » *Paralysis in peripneumonia, inquit* Boerhavius, *dicitur omnium pessima: nonnulli hoc attribuunt nervis hic distributis, sed videtur fieri a sanguine, qui se non potest evacuare per venas jugulares; hinc pendet potius a nervis compressis, quam alio modo affectis* «. *De Morb. Nerv. Tom. II. pag.* 248.

(o) *Rat. Med. Part. III. Cap. II. pag.* 108.
(p) *Libr. Coac Pranot. Sect. II. n.* 3.
(q) *Lib. De Morb. Popular. Sect. II. versic.* 25.: *De Morb. Popular. Lib. IV. vers.* 27. *Et ibidem Lib. II. Sect. II. vers.* 105.
(r) *Rat. Med. Part. III. Cap. II.*

bus redeuntibus illæ statim evanescebant. Clariss. quoque STORCHIUS (s) vidit in pluribus ægris paralysim, et apoplexiam sanari omnino, critica sequuta anacatharsi.

179. Celeb. FRANKIUS mei amicissimus veram observavit asphyxiam, quæ ex pure in pulmonibus, coacto oriebatur: historiam narrabat Ipse mihi oris iis, heu paucis! quibus datum est cum illo colloqui. Rus vocabatur a quadam Matrona, quam phthysi affectam jam judicaverat expertissimus WERLOPHIUS. Sub vesperas adivit Ægram; suam tamen proferre opinionem recusavit, nisi prius eam reviseret mane sequenti, quum febris inclinaret. Tunc vero Ægræ inspexit oculos fulgentes, venas frontis aliquantum tumentes, faciemque quid penitus insolitum referentem. Quum autem et arteriarum pulsus durescerent, jussit venam contundi: expectabant Chirurgum, qui dimidio milliarii distabat; interea vero Matrona de repente convellitur, et brachia contorquens prosternitur solo: oculos prodebat apertos, nec tamen obnubilatos, pupillam satis expansam, os spumas agens, inferioremque maxillam veluti prolabentem: evanuere pulsus, et respiratio. Dum Vir dolore furens angebatur, experientissimus FRANKIUS, humanissimusque jussit pannis tepentibus corpus fricare, aliaque jussit excitantia remedia, quibus obnitebatur ad vitam revocare, quam quidem defunctam judicabant omnes, Mulierem.

Post horam cum dimidio reviviscebant arteriarum pulsus, spiritusque, stertorosus tamen, oppressusque excitabatur: suborta tussi quam difficili, ac velut suffocante, Matrona aliquantulum ex ore materiei purulentæ ejiciebat. Hinc

---

(s) *Ann. Medic. I. Tom. I. pag. 126.*

Medicus, quam prius suspicabatur, vomicam in ægra pro certo asseruit. Has inter miserrimas rerum circumstantias, exhibuit parva, sed iterata dose Ipecacaunham; ex qua levis iterum, iterumque excitatus vomitus notabilem e pectore extrusit puris quantitatem: hinc bono fato levabatur ægra, quæ per annos aliquot vitam protraxit.

180. Fatetur HAENIUS (t) difficillimum explicatu, quomodo causa unice premens, aut vellicans quemdam in thorace nervum efficere possit apoplexiam: putat ergo satis esse ejus possibilitatem probare; quod præstat tum proferens insolitos, terribilesque effectus, quos sæpe parit in ulcere irritatus nervus; tum memorans apoplexiæ speciem, quæ a sola applicatione venenorum ad nervos stomachi exorta, mox evanescit sæpe, expulso veneno. Mihi vero satis est iterum asserere, paralyses hujusmodi, apoplexias, atque asphyxias ex aliqua, quas supra recensuimus, causarum oriri.

CAP. XV.

Prognosis.

181. Norunt Medici periculosissimum morbum esse veram apoplexiam; hæc enim aliquando vitam adimit repente, sæpe tribus diebus, aut septem ad summum. Hujusmodi morbus juxta suos gradus diversos, diversimode absolvitur: hinc scripsit HIPPOCRATES (u): *solvere apoplexiam vehementem quidem impossibile, debilem vero non facile.*

182. At magis periclitatur apoplecticus morbo correptus, nullis antegressis signis; ille vero

---

(t) *Loc. cit.*
(u) *Aphor. XLII. Sect. II.*

e vita certo decedit, cui, uno latere paralytico, alterum convellitur maxime et cui pulsus sensim magnitudine crescat. Observatum est etiam apoplecticum semper mori (x), qui manum iterum, iterumque eidem capitis parti admoveat, licet haud gravia videantur reliqua morbi symptomata. Pessimum quoque est signum, si initia talis morbi primo a facie incipiant. Qui per nares potulenta rejicit, qui stertit, aut spumas agit ex ore, aut frigidum ex corpore sudorem emittit, plumbeamque prodit faciem, indicia fere semper mortis profert. Signum plerumque mortis est quoque, si deductis palpebris pupilla valde dilatata appareat, admissaque luce nihil omnino contrahatur; ac pariter si urina, et fœces clam elabantur.

183. Perniciem accellerat febris si inflammatoria, licet illico superveniat; si autem nimis sera, aut valde exigua, inutilis est omnino. Præterea, qui etiam hoc morbo convalescunt, rursus in eundem facile recidunt. Inter apoplexias autem generatim sanguinea, atque serosa magis pertimescendæ sunt, quam nervea.

184. Et revera apoplexia convulsiva sæpe, sublato spasmo, solvitur omnino, quin ullum, aut saltem notabile reliquum sit sui indicium. Aliquando evanescit: quin ulla sensibilis fiat evacuatio; aliquando vero habita aliqua aut vomitus, aut sudoris, aut urinæ crisi peculiari, aut fluxu menstruo restituto. Haud raro desinit in hemiplegiam, aut in paralysim sive perfectam, sive imperfectam alicujus tantum corporis partis. At contra spasmus majorem aliquando sanguinis quantitatem, uti diximus (n. 50. 80.) impetuque majori in cerebrum cogit: ipsius hinc vasa distracta, ac sæpe etiam disrupta mortem

(x) Quarin. *Animadv. Practic. Cap. I.*

afferunt repentinam. Imo vero spasmus idem occidere potest, quin ullam forte faciat in cerebro congestionem, aut disruptionem, uti multis patet observationibus; inter quas signanter hic recole, quas ex Celeber. TISSOTIO excripsi (n. 76.). (13.).

185. Periculo quoque plena est ea apoplexia, quæ a venenis pendet, aut a quapiam alia substantia, quæ nervos lædat summopere: cujus generis sunt tum materies arthritica, tum vapor carbonum. Inter funestas apoplexias, biliosa est recensenda: nisi mox idoneis oppugnetur remediis. Quæ demum ex acrimonia, vel inanitione exoritur, fere semper in mortem desinit.

186. Morbum autem levari dicunt, si febris maturius accedat, et valida quidem, ut ephemera est, at non inflammatoria. Utilitatem ferunt quoque succedentes hæmorrhoides, urinæ multæ, ac sudor copiosus, æquabilis, roridusque. Inter melioris notæ signa enumerat CAELIUS (y) caloris redditum, spasticos in partibus paralyticis subsultus, non ac prius molestam deglutitionem. Aliqua quoque effulget spes, si æger *inclamatus* palpebras, ac labia moveat; ac pariter si liberior, et ordinata fiat respiratio. Salus tandem expectari potest, si post venæ-sectionem, atque alia congrua auxilia intra viginti quatuor horas consequatur levamen, remittantque symptomata.

---

(13) *Binos ægros apoplexia convulsiva correptos observavit Clar.* Panzanius *obiisse quinta morbi die, ut lego dum hæc typis consignantur.*

(y) *Acut Morb. Lib. III. n. 51.*

CAP. XVI.

De Curatione Apoplexiæ Sanguineæ.

187. Quum apoplexia generatim, si jam invaserit, et multum periculi, et multum damni inducat in ægros; hinc nobis curandum vel maxime est, ut ab hoc morbo homines, quoad fieri potest, præservemus. Quod quidem ut assequamur, nobis diligentissime animadvertendum, si ii, quibus Medici adsistimus, aut ex proprio corporis habitu, aut ex parentum vitio ad hunc inclinentur ominosum morbum.

188. His quidem hominibus indicare præstaret, quod illis imminet, periculum, ut in quibusdam atmosphæræ constitutionibus sibi caverent ab iis quammaxime, quæ sanguinem commovere, ac rarefacere habent, eumve in caput cogere scilicet ne vinum, nisi parce, potent, ne horizontaliter jaceant nimis, aut lecto strati legant, aut his similibus vacent.

189. Ad ea pariter nobis diligentissime attendendum est symptomata (n. 17.) quæ solent apoplexiam sæpe præcedere, quæque utplurimum negligi solent. Ea enim significant sæpius, humorum accensionem, copiam eorum cerebro auctam, nervorumque læsionem.

190. Interim quum inter causas, quæ ad sanguineam disponunt apoplexiam, maxima sit ad plethoram quædam facilitas; hinc hujusmodi ad generandum sanguinem facilitas præcipue oppugnanda est. Id autem arduum videtur; præcipue quum et adhuc causam latere credant, quæ tam facile ad excessum augeat sanguinis quantitatem. Præcipua tamen methodus, ac magis efficax, qua huic vitio obstemus in eo videtur sita, ut hujus generis homines et corpus exerceant, et temperanter vivant.

191. Dum corpus exercent, dum parce vivunt, rationem tamen habeant oportet, tum consuetudini, tum ætati. Illud juvat corporis exercitium, quod perspirationem servat, et promovet: nocere contra potest, quo corpus ferveat ita, ut nimis humores rarefiant.

192. A cibis autem, et a potu multum se temperent, si tamen corpus vigeat, sique moderatam vitam agere soleant. At contra mediocri tantum utantur diæta, qui satis abunde comedere solent: sua enim jura habet consuetudo. Præterea siquis se ad diætam inducat, quum vires corporis aut intemperantia, aut ætate fuerint attritæ; tunc diæta illi futura erit perniciei, præsertim nisi ea utatur gradatim.

193. Semper autem oportebit tum a cibis se abstinere nutrientibus nimis, ac nimis stimulantibus, tum a liquoribus nimis actuosis. Vino cum aqua, aut saltem valde modico vino uti. A somno tandem diutino, et signanter a pomeridiano aufugiendum est, quibus solet facillime plethora augeri.

194. Quamplures pro certo habent, ut et communis fert opinio, plethoram evitari sanguinis emissione; quæ tamen iterata plethoram faciliorem reddit: majorem enim solidis inducit laxitatem, spatiumque copiosiori sanguini suppetit. Favet ergo præcipue plæthoræ ad vires, illamque auget, quam *obesam* dicunt. Quapropter vena tantum secanda videtur, quum e nimia sanguinis quantitate imminere apoplexiam deprehendimus, tunc imo et multum sanguinis emittatur.

195. Curandum est etiam alvum leniter laxari purgantibus acescentibus: addit quoque LAURENTIUS CRELLIUS (z), eos, qui caput

(z) *Bibliotheque Medico-Phisique Du Nord. Tom. I. art. XII.*

aqua valde refrigerabant, apoplexiam effugisse, quæ jam imminere videbatur.

196. Adnotare libet hoc loci monitum Clatiss. Medici FOTHERGILLII (a): monet nempe eos qui ad apoplexiam sanguineam sua constitutione videntur proclives, ne unice caput vergentes oculos intendant diu in objecta, quæ post humeros jaceant; quid enim perniciei ex hac violenta corporis positione exoriri possit, hac paritate Auctor exponit: Extrema flexilis tubi ex corio deprehende manibus, ad distantiam pollicum octo; contrario manuum parvo motu torqueatur tubus; vix ejus imminuitur cavitas: si vero manus distent duobus tantum pollicibus inter se, idem, ut supra, in partes oppositas motus ita tubum complicat, ut ejus cavitas ferme evanescens nulli pene fluido permeabilis sit. Haud alia quidem ratione fit, ut qui breves, crassioresque sint collo, caput retrorsum intendentes nimis plicent jugulares ad superficiem positas: hinc sua imminuta diametro minorem sanguinis copiam revehunt ad cor; quum ab ipso adhuc multam ducant carotides, quæ centro illius motus proximæ vix aliquid incommodum ex capitis retroflexione patiuntur. Quapropter in hisce hominibus facile exoriuntur vertigines et subinde apoplexia.

Et sane, ut idem refert FOTHERGILLIUS, vir brevis collo transvehebatur Thamesim patula quadam cymba, inspiciens intente, quod ad se pertinebat olim, navigium: iter prosequens retrospiciebat etiam: de improviso evanuit mente, sua procubuit cymba velut apoplecticus; nec; nisi post aliquod temporis revixit iteratis adjutus artis subsidiis.

(a) *Giornale Ven. per servire ec. Tom. III. pag.* 433.

197. Quoniam autem apoplexia facile corripit studiis severioribus incumbentes, qui sæpe meditando, diuque non solum spasmum in nervos, uti diximus (n. 53. et 82.), sed etiam multum sanguinis in vasa encephali invehere solent; hinc TISSOTIUS (b), efficacem describit methodum, qua ab literatis hominibus morbus hujusmodi arceatur. Illi nempe, ait, qui istis minitantibus sanguinis congestionibus obnoxii sunt, a studiis nimis gravibus se abstineant, et a sermocinatione diutina; vix, aut ne vix quidem caput tegant, placidaque sedentes fruantur quiete; a nimis tepentibus conclavibus aufugiant; potiones tum vini, tum cœffée recusent; tenuique utantur victu.

189. Quum vero ingruerit apoplexia, utrum sit ipsa sanguinea dignoscetur ex iis, quæ adnotavimus (n. 15. 18.). Dum ergo sanguineam eam esse comperiamus, æger lucidiori conclavi, ac temperato locandus est; ejus corpus aliquantum erectum sternendum, ac demum caput ejus omnino nudandum: imo vero CULLENIUS (c) ægrum monet exponendum esse aeri frigescenti, neque adstantibus stipandum.

199. Hisce peractis sanguinem mittere necesse est, et quidem abunde; habita tamen ratione tum ægri viribus, ætati, corporis habitudini, tum præcipue pulsuum magnitudini, vigorique. Haud me latet quidem in plethora a rarefactione, et expansione sanguinis, utpote quæ massam non auget, copiosas venæsectiones inutiles videri. Ast in ægris, de quibus hic sermo, plethora quoque cerebri partialis primario innuit semper venæ-sectionem. Hæc enim iterata, prout postulabit res, imminuet saltem

---

(b) *Epist. var. argum. pag. 76.*
(c) *Loc. cit. Art. MCXXXI.*

velocitatem, impetumque, quo sanguis in caput fertur.

200. Hæc autem velocitatis, impetusque remissio in apoplexia, aliisque cerebri morbis maxime utilis censenda est. Hac una ratione fit, ut ægri, qui cerebri plethora, vel inflammatione laborant, opprimantur, ac pene suffocentur jacentes: sanguinis enim ad cerebrum affluentis velocitatem, impetumque ea auget corporis positio, quæ contra vel arcet, vel aufert deliquia ex inanitione.

201. Nobis insuper sperandum est, ut venæ-sectiones imminuant non modo impetum, sed et quantitatem sanguinis, qui cerebrum premit. Neque enim derivationes, revulsionesque, quas Prisci docebant, sunt in dubium revocandæ.

202. Ut ergo impetum sanguinis, expansionemque cohibeamus, contundenda est primo vena brachii, quod resolutum haud sit paralysi, si æger hemiplegia sit affectus. Quod si fluxus menstruus, sive lochialis, sive hæmorrhoidalis adesset, aut ipse impeditus repente fuisset; tunc vena pedis secanda. Maximam quoque præstant utilitatem sectio jugularium, quæ tamen fiat sola digiti applicatione, arteriotomia, cucurbitula in occipite profunde scarificata, hirudinesque tandem, quæ non solum temporibus, et pone aures, verum etiam ano applicentur.

203. Hisce temporibus Celeb. WALTHERUS (d) plusquam a venis brachii, pedisque probat emissionem sanguinis ab iis, quæ viciniores sunt cerebralibus internis: hinc Ipse sectionem innuit primo jugularium, subinde facialis, frontalisque: postremo hortatur hirudines apponere venis, quæ ad angulos oculorum conspiciuntur.

(d) *Nouveaux Memoires de L' Acad. de Scienc. Berlin.* 1784.

204. CALLISENIUS autem Clariss. (e) in morbis cerebri plerisque, ut apoplexia etc. arteriotomiæ, hirudinumque usui præfert sectionem artificialem sinuum duræ Matris. Observatione enim compertum est ex una parte cranium posse, ubi necessitas ferat, terebrari, exceptis ejus basi, ac parte frontalis inferiori: et ex alia parte vulnus sinuum duræ matris haud esse lethale, ut ante hæc tempora putabatur. Me quidem haud latet homines facile improbaturos Medicum hujusmodi sectiones jubentem: vulgus enim curæ methodum ne ingeniosissimam quidem ullius æstimat; sed tantum ejus exitum, qui malus plerumque ex mala morbi natura his ægris metui debet. Ast, ut res scire, ac probe noscere; sic et judicium vulgi aspernari verum Medicum decet.

205. Quod ad sanguinis vero quantitatem exhauriendam, estimentur, ut innuebamus, prius ægri vires, ætas, sexus, et temperamentum. Neque enim athleticis quoque, uti cum LIEUTAUDIO præcipit Illustr. QUARINIUS (f), tantum sanguinis detrahendum est, ut calor nativus solvendo morbo necessarius extinguatur.

206. Sed magni refert, aliquando saltem, ut ad venam hisce ægris secandam opportunum seligatur tempus: in hoc autem Auctores minus institere forte, quam par fuerit. Observamus enim haud raro venæ sectionem in certa quadam morbi periodo satis juvisse, in alia contra nocuisse quam maxime.

207. Et revera; ingruente vix morbo syncopis potius phænomena, quam apoplexiæ prodire aliquando videntur, uti diximus (n. 19. 20.). Hoc autem momento non modo detri-

---

(e) *Act. Nov. Soc. Hauniens. Tom. I. pag. 37.*
(f) *Animadvers. Practic. Cap. I.*

mentum, sed et mortem afferre venæ contusio posset: quæ quidem maximæ esset utilitatis, imminutis valde, sive evanescentibus iis phænomenis, quæ ad syncopem pertinere æstimantur. Hæc vero inter phænomena recenseri debent, color faciei semiluteus, oris spumescentia, respirationis interceptio, arteriarumque pulsus depressi, languentes, deficientesque. In his quidem rerum circumstantiis, emissio sanguinis, præcipue copiosa, magnum vehere potest detrimentum: vitalis enim sic retunditur energia, dum ipsa conatur vitam revocare, motumque circulatorium promovere, qui ex musculorum resolutione in vasis præcipue minimis immaniter retardatur. Neque sperandum in hac rerum conditione illam, quæ hisce vasis inest, *contractilitatem* posse ad locum venæ contusum, qui minus resistit, sanguinem urgendo, motum circulationis pene sufflaminatum iterum excitare.

208. Id quoque persuasum vellem, quod ob nervorum compressionem minus sensibile, minusque irritabile apoplectici cor majori, ut agat, stimulo egeat, idest majori sanguinis quantitate. Quamobrem patet, venæ-sectionem, quæ fiat importuno temporis momento, apoplexia quoque sanguinea correptis nocere vel maxime posse. Hinc forte fit, aliquando saltem, ut apoplecticus licet plethoricus, vix vena contusa emoriatur, dum vulgus solet, Medico etiam absente, venæ-sectionem præcipere statim atque ingruat morbns.

209. Abstinendum est igitur a venæ-sectione, donec vires vitales videantur deficientes, exsolutæve: interea præstat unice uti cucurbitulis: præcipue occipite scarificatis, quæ habent ægrum expergefacere, quin vitalibus noceant viribus. Hinc olim ZACUTUS LUSITANUS unius ope cucurbitulæ, quæ bis occipite scarificabatur profunde juvenem *resoluto jam pulsu ut in*

horas moriturus videretur, restituit; neque enim poterat aliis artis subsidiis adjuvari.

210. Jam vero massa sanguinis, uti exposuimus, imminuta, alvum laxare præstat clysmatibus, quæ tamen sin minus mitissima, saltem haud multum acria sint: nam quæ stimulant, possunt in imi ventris visceribus spasmos excitare, qui majorem sanguinis quantitatem ad caput vehant. Dolendum quidem est Medicos aliquos in apoplexia hujus speciei curanda abuti sæpenumero clysteribus acrioribus, et valde stimulantibus. Ad summum mihi videtur ægris quibusdam profuturum clysma ex decoctione cœffée, quam VOGELIUS (g) laudat. Cæterum, quæ irritant, ut plurimum nocent.

211. Verum ægri aliquando, aut imminente apoplexia, aut ipsa sæviente, evomunt; aliquando ad vomitum incitantur tantum. Hoc autem indicio adducti Medici quidam emetica propinant; et tristi quodam fato gravissimi aliqui Viri hujusmodi tutantur praxim. Emetica enim detrimentum semper, aliquando etiam mortem afferunt in apoplexia sanguinea, præsertim idiopathica.

Id constanter affirmant summi in arte viri MORGAGNUS (h) namque, atque BURSERIUS (i) hemiplegias leviores, mitioresque apoplexias, emeticorum usu, in graves atque lethales desiisse observarunt. Imo MORGAGNUS mala quoque suspicatur de vomitu apoplectici, qui lauta mensa exsurgens morbo correptus fuerit. Ill. HAENIUS quoque queritur maxime SYDENHAMIUM in hujusmodi morbo probare

---

(g) *Loc. cit. Tom. II. §. 563.*
(h) *Ep. Anat. Med. III. n. 4.*
(i) *Loc. cit. Tom. III. §. 131. et §. 132.*

emeticorum usum, quem Ipse perniciosissimum esse pro certo habet (k).

212. Et revera vomitus spontanei, quos in his ægris observamus, haud equidem idiopathici, sed sympathici, ut pote qui ex cerebri læsione exoriuntur, procul dubio dicendi sunt (n. 17). Hinc jure ac merito subdit celebr. QUARINIUS (l), *pessime errare illos, qui ob solum materiæ biliosæ vomitum propinant emeticum, cum e plethora caput obturbante, nausea, et vomitus biliosus oriri possit.*

213 Videmus quoque morbos quosdam apoplexiæ affines nausea, vomituque primitus manifestari. Sic cum vomitu aliisque ventriculi symptomatibus erumpit morbus a TISSOTIO descriptus (m), qui in eo situs est, ut vasa cerebri paullatim, ac lente obstructa fuerint: hi quidem ægri omnes in pejus ruerent emeticorum usu. CULLENIUS idem, qui drastica velut probat remedia (n) imposterum monet, tenui dose exhibenda, metuens ne ad vomitum incitent, quem ipse quoque putat pernicie plenum. Ast aliquando emeticum cuidam profuit apoplectico: idem autem laborabat ne apoplexia sanguinea?

214. Contra vero maximam utique afferre utilitatem videntur, quæ a capite humores revellunt remedia; hujusmodi sunt balnea tepida, in quæ crura, pedesque immittantur; membrorum ligaturæ, frictiones, sinapismi, et vesicantia.

215. Verum in apoplexia sanguinea ab iis abstinendum, quæ nimis sanguinem exagitant;

(k) *Rat. Med. Part. IV. Cap. V.*
(l) *Loc cit. Cap. I.*
(m) *Epist. var. argum. pag. 71.*
(n) *Loc. cit. Art. 1133.*

hinc apoplecticis hisce renuunt aliqui summi in arte viri vesicantia exhibere. TISSOTIUS (o) vesicatoriis anteponendos opinatur sinapismos, si sermo sit de apoplexia sanguinea. SWIETENIUS (p) monet valde caute apponenda esse apoplecticis vesicantia; præsertim vero in apoplexia sanguinea, nisi post iteratas sanguinis evacuationes. VOGELIUS Clariss. (q) affirmat apoplecticis *vesicantia longe magis inimica, quam amica esse*. LENTINUS autem (r) generatim suggerit in apoplexia vesicantium usum hisce verbis: *vesicantium usum sua cujusvis ægri constitutio determinet. Nec hæc enim indiscriminatim, nec statim ab initio adhibenda esse, non possum non monere*.

Hæc nimia indiscriminatim, subitoque vesicantia adhibendi facilitas damnatur etiam quam maxime a Clariss. TRALLESIO (14). Si autem post morbi attentam disquisitionem apoplexia

---

(o) *Epist. var. argument.*
(p) *Aphor. 1025. et Aphor. 1034.*
(q) *Loc. cit.* § 563.
(r) *Apud* Mollium *pag. 40.*

---

(14) » *Quid*, *inquit* Trallesius, *in communi pra-*
» *xi magis obvium est, quam vix viso apo-*
» *plectico, subito, et indiscriminatim recurre-*
» *re ad vesicatoria, eaque larga, et multa nu-*
» *cha, brachiis, suris apponere, ut nempe al-*
» *to somno sopitus excitetur, aut partes insul-*
» *tu superato paralytica remanentes validissi-*
» *mis stimulis ad motus suos deperditos iterum*
» *subeundos agitentur, incitentur, et ex inten-*
» *tione artificis cogantur? Non ne decebat an-*
» *tea dijudicare ægri temperiem, solidorum,*
« *et fluidorum indolem, ætatem, vitæ genus,*

inveniatur sanguinea, tunc Auctor spectatissimus absolute improbat vesicatoria tamquam exitialia (s) eademque vocat cum TISSOTIO remedium *apoplexiferum*, potius quam *apoplexifugum*.

216 Et enim vero quid primo agunt vesicatoria? nempe stimulis urgent partem, cui apponuntur; quæ quidem inflammatur, suaque deinde textura evertitur. Nervi ejus loci iisdem stimulis percelluntur, eorumque turbæ toto corpore diffunduntur. Hisce peractis, retunditur ne vesicantium vis? Observationes indubiæ docent magis actuosas, magisque volatiles cantharidum particulas totum corpus permeare: earum stimulis vires vitales augeri; atque hinc metuendum quam maxime, ne in cerebrum cogatur major sanguinis quantitas, motuque majori percita.

217. Si vero in præsens ad mentem revoces nervorum irritamenta (23.) vires vitales nimis auctas (25.), nec non universalem liquidorum expansionem, solidorumque distensionem (37. 43.), quæ in vera apoplexia sanguinea fere deprehenduntur; facile intelliges quanta in hos ægros mala a vesicatoriis invehi queant.

(s) *Usus Vesicantium Salub. et Noxius in Morborum Medela Sect. Posterior. pag. 23. et 31.*

» *et inquirere sedulo in veram causam, subi-*
» *taneam motuum voluntariorum, et sensuum*
» *impotentiam inferentem, que semper quidem*
» *in encephalo latitat, et pressu suo in cere-*
» *bri medullam, et nervos inde egredientes,*
» *tristes suos effectus patrat, sed non semper*
» *eadem, et sibi similis est, adeoque etiam*
» *eadem remedia exposcere nequit?* « *Usus Vesicant. Salub. et Nox. Sect. Priori. §. 1. pag. 22.*

218. Hæc autem mala timenda sunt magis, si ægri solidæ partes plus æquo irritabiles sint, atque rigescentes. Hac posita temperie, quis ægro putaret adferre levamen, stimulos addens stimulis, vim vi? Non ne hac ratione fit, ut quæ febris aliquando juvare apoplecticum ex sero videtur, ea semper, aut ferme semper noceat correptis apoplexia sanguinea? Animadvertit BAGLIVIUS (t) vesicatoria pulsum accelerare, atque contrahere; febrim, sitimque augere, atque hinc parere effectus omnino iis oppositos, quos ad curandam apoplexiam exquirere debemus. Sapienter ergo citatus LENTINUS monet, vesicantium usum ab ægri constitutione esse determinandum.

219. Extat quidem celeberrimus Medicus a stimulantibus alienus omnino, quum in apoplecticis imminui debent sanguinis tum quantitas, tum motus, qui tamen putat in apoplexia sanguinea vesicantia profutura, si potius capiti, quam aliis corporis partibus apponantur. Idem ipse est CULLENIUS (u), qui tunc vesicatorium, non ut remedium stimulans considerat, quodque alio revellere valeat sanguinem; sed illud capiti appositum reputat potens remedium ad illam tollendam dispositionem, quam ad hæmorrhagiam habent encephali vasa. Quidquid sit de hoc tanti Viri judicio, alibi (x) tamen ipse fatetur, vesicatoria nil unquam juvaminis attulisse correptis hemiplegia, quam recte opinatur a causis iisdem pendere, a quibus ipsa pendet apoplexia.

220. Quare ex dictis huc usque videtur inferendum vesicatoria, quoad apoplexiam sangui-

---

(t) *De Usu, et Abusu Vesicantium.*
(u) *Loc. cit. Tom. III. art. 1135. - 1136.*
(x) *Loc. cit. art. 1169.*

neam, remedium esse satis incertum plerumque; aliquando absolute perniciosum, præcipue quum ægri partes solidæ vigent nimis, satisque rigescunt. Cantharides enim, ut (n. 216) dictum fuit, non modo in partes, quibus admoventur, sed in omnia viscera stimulos agunt suos, quum quam citissime insinuentur quocunque. Irritant ergo nervos, licet, ut fert aliquorum opinio, diversa actione, qua alia stimulantia, id præstent.

221. Ergo ad eos obtinendos effectus, qui ad hanc apoplexiam curandam exquiri debent, accomodatiores potius videntur fomentationes ad caput frigidæ, tepentes contra ad crura, pedesque, quibus olim utebatur AVICENNA. Scite ergo Clariss. CRELLIUS (y) apoplexiæ sanguineæ curationem fomentationibus frigidis tentandam esse credit; et mox Cel. quoque NICOLAJUS usum satis frigidæ tum internum, tum externum adversus apoplexiam commendat (z). Quum vero ex horum clariss. Virorum observationibus satis utilis constet in apoplexia frigidæ usus, non ne confirmari videntur, quæ de motu sanguinis intestino disseruimus Cap. II.?

222. Cæterum illud negari nequit, quod nempe certa quadam morbi periodo videntur ægro profutura remedia modice *tonica*, ac roborantia, licet aliquantulum extimulantia. Si enim morbi imminuta vehementia æger vitam protrahat, tunc pulsuum deficit robur (n. 18.), hominisque tota languescit compages. Post mortem vero pallidæ satis conspiciuntur Meninges ac flacidum cerebrum sæpius, cruentoque sero redundans; quæ quidem innuunt summam va-

---

(y) *Loc. cit.*
(z) *Biblioteque Du Nord Tom. I. pag. 266.*

sorum exhalantium, et absorbentium debilitationem. A roborantibus ideo remediis non semper est aufugiendum.

CAP. XVII.

De Curatione Apoplexiæ, quam serosam dicunt, aut lymphaticam.

223. Plures utique Scriptores, ut vidimus n. 6. eos improbant, qui apoplexiam in sanguineam distinguunt, et in serosam: imo vero PORTALIUS, aliique negant omnino primario serosæ existentiam. Quæ quum ita in controversiam cadant, id saltem ostendunt, quod nempe, certis deficientibus signis, serosa non raro accipiatur pro sanguinea, ac vice versa. Et revera; sectis cadaveribus, ea apoplexia haud raro patuit sanguinea, quam quidem serosam asserebant Medici, attentis hujus speciei indiciis.

224. Hanc veritatem confusioni generandæ aptam confirmant observationes plurimorum medico-anatomicæ; eæ præsertim, quas PORTALIUS profert, atque MORGAGNUS. Suis enim docet PORTALIUS, faciei pallorem, pulsus exiguitatem, spumasque ex ore haud certa constituere apoplexiæ serosæ indicia. Observationibus autem MORGAGNI deducitur, non semper esse serosam, quæ apoplexia lente, ac gradatim hominem adoritur: plures enim sanguineas hoc modo corripuisse ostendit Auctor sapientissimus (a). E contra haud paucas recenset Idem (b) serosas, quæ de improviso erumpebant.

(a) *Epist. Med. Anat. III. n. 11 - 20 - 24.*
(b) *Epist. Med. Anat. IV. n. 6 - 9 - 11 - 16 - 21 26 - 28.*

225. Sed neque fibræ mollities, neque ætas senilis satis indicant apoplexiam esse, ut ita dicam, exquisite serosam. Novi ego aliquos senes facie pallentes, fibra nihil rigidos, quibus ad sanguinem satis densum generandum maxima inerat facilitas.

226. Quapropter certi sæpe deficientibus signis, quibus serosam ab sanguinea distinguamus apoplexiam, magnis nitendum conatibus, ut qui fieri potest, earum exploremus naturam. Id autem præcipue tenendum, quod nempe serosæ indicia, non seorsim singula, aut pauca; sed pleraque, atque conjunctim sumpta sint perpendenda, ut curationis seligamus methodum.

227. Indicia tamen, quæ difficilius Medicum fallent, erunt ea, siquid videam, quæ possunt suppeditari vel ab integra corporis constitutione, vel ab iis, quæ præcesserunt: facilius contra eum fallent, quæ vel comitentur morbum, vel eum subsequantur. Quare si in ægro ea omnino deprehendatur corporis temperies, quam supra descripsimus (n. 45.); ea medendi methodo oportet uti, quam ad curandam apoplexiam serosam experientissimi præscribunt Medici.

228. Quæ quidem methodus in eo sita est, ut primo hujusmodi apoplecticis exhibeantur purgantia satis energica; quæ scilicet componantur ex senna, agarico, jalappa, manna, anglico sale, cremore tartari, atque ex his similibus. Emeticum quoque minus his metuendum, quam sit correptis apoplexia sanguinea: plures tamen et in serosa hoc remedium improbant. Laudantur præterea acria clysmata, vesicatoria, setacea, cauteria: tum vero usus probatur, cautus tamen remediorum excitantium. Legimus quoque apud HAENIUM (c), apoplexiæ pituitosæ exemplum ope vaporis electrici sanatæ.

(c) *Rat. Med. Part. II. pag. 205.*

229. At querunt Medici; utrum nec ne his in apoplexiis sanguinem mittere oporteat. Maximi quidem momenti est quæstio: error enim hac in re summæ perniciei est sepænumero. Plures opinabantur venæ-sectionem apoplecticis ex sero nocere quam maxime: innitebantur auctoritati CELSI, qui scripsit: *si omnia membra resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit, vel liberat* (d) Contra vero viri gravissimi, inter quos MORGAGNUS (e), atque BURSERIUS (f) putant et in serosa apoplexia venam secandam, dummodo prudens adsit suspicio cujusdam vasorum plenitudinis, rubeique sanguinis copiæ.

230. Quare ægri constitutio quam diligentissime exquirenda est, uti supra innuimus; sique indiciis quibusdam apoplexiæ serosæ, indicia velut conjungantur, quibus sanguinis certa quædam quantitas dignoscatur, tunc tantum sanguinis emittatur, quantum rerum circumstantiis sit accommodatum. Et revera spumas agebat ex ore, facie pallebat vel maxime, difficilem valde respirationem, et exiguos prodebat pulsus apoplecticus, quem PORTALIUS iteratis venæ-sectionibus sanavit; licet ab aliis Medicis serosa judicaretur ille apoplexia correptus. Ast ille athleticæ erat constitutionis, ut PORTALIUS fatetur: ex hac autem athletica constitutione inferri potuit apoplexiam fuisse sanguineam, aut saltem non *primario* serosam.

231. Arteriarum autem præcipue pulsus certam quamdam sanguinis quantitatem habent significare. Hic tamen mihi liceat junioribus Medicis adnotare, haud semper pulsuum elevatio-

---

(d) *De Medic. Lib III. Cap. 27.*
(e) *Epist. An. Med. IV. n. 15.*
(f) *Loc. cit. §. 135.*

ni, aut exiguitati vires vitales respondere. Vires enim adsunt aliquando sub pulsu exiguo, ferme nullæ sub elevato: tu tamen arteriam digito preme; si ejus subinde pulsationes magis vigescant, vigorem, et sanguinem; si evanescant, debilitatem argue, sanguinisque inopiam, quas quum deprehendas, venæ-sectionem metue: vigentibus autem sub pressione pulsationibus tentanda est venæ contusio. Licet enim sint pulsus exigui, et alia absint apoplexiæ serosæ indicia, haud tamen æger sanguine inops potest semper conjectari.

232. Fatendum præterea est observationes docere apoplexiam, quæ, ut ita dicam, primario, et exquisite lymphatica sit, raro homines adoriri: utplurimum enim sanguis quoque distrahit capitis vasa; ex hac autem distentione sanguinea oritur subinde lymphæ, aut seri e vasis eruptio. Hinc vena videtur secanda utplurimum, nisi id vetet malus corporis habitus, ut sæpe jam dixi, qui paucum sanguinem annuat vasis contineri, eumque effœtum, solutumque.

233. Hac enim posita sanguinis inopia, ejusque mala dominante crasi, venæ-sectio ægro noceret quammaxime. Vasa enim sanguine ferme exinanita a sero turgescente præmuntur; hinc motus sanguinis remoratur, qui quidem incitari deberet ad cerebrum sublevandum, vitamque servandam. In hoc rerum statu naturæ vires in sui origine opprimuntur a sero, quod vel in vasis exuberet, vel ex ipsis erumpat. Oportet ergo eas expedire, atque excitare clysteriis, purgantibusque, quæ satis agant; tum vero emeticis, vesicatoriis, aliisque remediis, unde alio derivetur serum, quo caput gravatur. Væ autem illi, cujus vena secaretur, quum ita esset affectus. Idem esset ac si curare velles hydropem Ascitem non aquas exhauriens, sed sanguinem.

234. Quæ quidem venæ-sectio majora inveheret mala iis, quos ex cacochymia leucophlegmatica apoplecticos descripsimus (n. 47.): horum autem valetudo ferme omnino desperanda est; ac his tantum poterit prophylactica adhiberi cura. Namque apoplecticorum hujusmodi natura hebescit omnino; ac veluti expirat: nil fere agit; solum pati videtur, novaque, ut ita dicam, anima indiget. Vires vix nullæ, vix nulla solidarum partium elasticitas, mucositas quædam lenta fluidorum, frigida, et iners, remediis igitur egent summa activitate præditis, quæque valeant rursus excitare solidorum oscillationes, vitalemque calorem restituere, qui jam deficiens comperitur omnino.

235. Monet propterea Medicos HIPPOCRATES, ne tangant quidem infirmos hosce: metuendum enim est, ne qui fato pereunt suo, medica arte pronuncientur extincti. Hinc præstat Domesticos hortari, ut et omnia, et validiora suppeditent remedia; nos tamen de morbi exitu velut desperantes conspiciant.

CAP. XVIII.

Ratio Curandi Apoplexiam Nerveam sympathicam; sive Consensualem, et primo quidem Biliosam, sive Saburralem.

236. Vidimus, quam caute, prudenter, seduloque agendum sit, ut recte medeamur correptis apoplexia sive sanguinea, sive serosa: at magnis æque conatibus nobis contendendum est, ut eam curare apposite possimus, quam dicunt apoplexiam *nervosam*. Quoniam autem hæc dividitur, ut diximus in *idiopathicam*, et in *sympathicam*; hinc ad exquisitum examen nobis revocandæ sunt tum indoles, sedesque causarum,

quæ nervos irritant, vel alia ratione lædunt: tum ægri, suorumque præsertim nervorum constitutio. Ex sola enim horum attentissima inquisitione elici potest, quid remedii singulis causis, singulisque ægrotantibus conveniat, quodque expediat in varia earumdem causarum complicatione.

237. Principio vidimus supra apoplexiam haud raro gigni ex causis extra cerebrum existentibus, quæ in ipsum agunt consensualiter, sive, ut dicunt, ex sympathia. Hujusmodi vero causæ quam sæpissime stomacho insident, ejusque viciniis; et inter eas frequentius sævit acris quædam bilis, adeoque satis irritans, quæ ut vidimus (n. 159. 154.) apoplexiam facit.

238. Comperimus autem hujusmodi bilem, aliamve morbosam materiam primis viis coacervari, si illa adsint indicia, quæ (n. 150. 152.) memoravimus, quæque sunt a morbosis ægri vitiis, sive antecedentibus, sive præsentibus desumenda (15). Verum supra ex Illustr. QUA-

---

(15) *Quoniam apoplexiam vocamus biliosam, uti supra diximus, tum quæ ab una bile, tum quæ a saburra quacunque primis viis coacervata pendet; non erit utique abs re nostra hoc loci diligentiori, ac fusiori methodo (in juniorum saltem Medicorum gratiam) iterum recensere indicia, quæ non solum bilem, sed innuat saburram quamcumque primis viis insidere, quæque necessarium ostendunt sive emeticorum, sive purgantium usum. Rem itaque diligenter exploranti bilis, vel saburræ indicium dabunt stomachus, os, caput, pectus, cor, intestina; aliquando etiam totum corpus, uti adnotavit Clariss.* Planchonus (*Le Naturisme pag. 140.*).

Primo. Primas vias saburra gravari indicabit stomachus, qui vel alienis sit a cibis,

RINIO adnotavimus haud semper ex solo stomachi consensu gigni apoplexiam, licet æger nauseis vexetur, vomituque bilioso. Ad diligentissimum ergo examen prius est revocandum, utrum illæ stomachi turbæ a læso cerebro pendeant; an a materie biliosa, quæ certo primis viis inhæreat.

---

vel eos aliquando expereat nimis; quique laboret oppressione quadam, nauseis frequentibus, vomitu spontaneo, cardialgia, doloribus identidem veluti mordentibus, ructibusque nullius aliquando saporis, aliquando vero acidi, nidorosi, fœtidi, amari ect.

Secundo. Quod ad os spectat; hoc viis primis insidere saburram innuit, quum afficitur amaritie, fœtore, dulcedine quadam ingrata; quum saliva præter solitum redundat insipida, viscosaque; quum vaporem calidum emittit, odoresque inter respirandum, qui ex materiis cieri solent acribus, acidisque; quum tandem lingua viscositate quadam obducitur subfusca, vel flava; si vero albescente, saburram significabit præcipue pituitosam.

Tertio. Caput colluviem, sive saburram primis viis insidentem indicabit, si vertigine vexetur, aut post cibum ad somnum inclinetur. Qui enim in somnum maxime fertur post cibum, nisi valde plethoricus sit, saburra gravatur, quæ fere est frigida: qui contra a somno alienus est, saburra calida solet laborare.

Quarto. Sua quoque gastricæ saburræ profert pectus indicia. Et primo quidem siquando difficilis adsit respiratio, quæ tamen non sit continua, sed tantum horaria. Curandum tamen est, ut spiritus difficultas, quæ a quibusdam pectoris morbis pendet, recte ab ea distinguatur, quæ a gastrica saburra exoritur. Conjectabis a

239. Quare si apoplexia corripiatur, qui prius vexaretur bilis, saburrævve alterius generis coacervatæ effectibus, a nobis supra descriptis, eorumque signa proderet; quique habitum haberet icterodem, ac temperamentum satis sensibile, atque irritabile; arguendum erit apoplexiam esse consensualem.

---

saburra exoriri, si respirandi difficultas instet per horas quinque, aut sex, deinde deficiat, si cibis sumptis augeatur statim; si eam comitetur stomachi veluti a pondere oppressio; sique tandem absit tussis, aut siqua adsit, ea stomachi conjungatur oppressioni, qua ægro ipsi indicat tussim e stomacho exoriri.

Quinto. Cor vero eamdem indicat saburram, quum ejus motus imminuatur, pulsusque lenti evadant, exiguique: hinc minor sanguinis quantitas in cerebrum fertur, et æger viribus destituitur, ac velut pondere quodam gravatur: ipsi etiam palpitat cor, ac sibi imminere sæpe deliquium suspicatur.

Sexto. Intestina sua dabunt signa; quum nempe turbis, colicis, diarrhæis, dissenteriis lædantur. Addendus est quoque dolor, qui genibus, musculisque crurum gemellis *excitatur, ut observaverunt* Ferreinius, *atque* Planchonius *(Loc. cit.); et ego quoque adnotavi haud raro. Et enim vero; Matrona quædam nuper quærebatur per biduum de hoc dolore; tertia autem nocte subsequente, violenta corripiebatur diarrhæa, post quam dolor evanuit omnino. Regali quodam Monasterio adest præstantissima Virgo, in cujus visceribus abdominalibus solet haud raro accumulari atrobilaris materies: inter alia hujus coacervatæ materiei signa, quæ mihi obversantur, fere semper adest dolor, aut aliquando etiam quædam eorumdem musculorum, crurum nempe, contractio violenta,*

240. Jam vero his in ægro compertis, antea omnia vena contundatur illi, necesse est. Fateor quidem haud magnam sanguinis quantitatem inesse utplurimum iis, qui sunt natura biliosi: necessaria tamen est venæ-sectio, tum quia biliosa colluvies majorem sanguinis copiam ad caput congerit, (n. 155.) tum quia imminuta sanguinis massa tutius alia adhibentur remedia, clismata protinus oleosa præscribantur, et emollientia; subinde et stimulantia.

241. At postquam apoplecticis hujus speciei sit ita provisum; ausu majori obtinendum est, biliosam colluviem eliminare. Quare purgantia sunt statim adhibenda; sed plures in arte sum-

---

ac satis dolorifera. Tissotius *quoque (De' Nervi Tom. II. Cap. X. §. 41.) hominem novit, cui stupor quidam crurum, et quædam eorum gravitas diarrhæam prænunciabant, qua ille vexari solebat.*

Septimo. Tandem quoad totum corpus saburræ gastricæ indicia sunt; rigores quidam, atque pallores non permanentes: sed frequenter redeuntes; febres quædam ephemeræ, pulsus irregularis, inequalis, intermittens quem vocant intestinalem; *ac tandem madores, sive sudores nocturni absque causa manifesta, quos purgantium usus tollit omnino, ut idem asserit* Hippocrates *dicens*: Sudor multus a somno, citra causam manifestam, factus, corpus: uberiori alimentó uti significat: si vero cibum non capienti hoc fiat, evacuatione indigere significat. *Aph. IV. Sect. IV.*

Medico exploranti utrum aliqua ex his multis adessent in ægro, priusquam apoplexia corriperetur; licebit conjectando inferre eum apoplecticum evasisse coacervata primis viis saburra.

mi Viri magis commendant, et jure quidem vomitum excitantia. MOLLIUS vero (g) ejiciendam affirmat sive vomitu, sive secessu bilem: sic putant Medici plures, HIPPOCRATES præcipue, qui clysma præscribit (h), quod *bilem vehementer ducat, et quæ vomitum, et alvum movent*. Rem confirmat MOLLIUS tum referens plures apoplecticos ex vitio hypochondriorum convaluisse clysmatum ope, atque emeticorum; tum quoddam subdens fragmentum ex Dissertatione Clariss. RHANII, qui ita scribit (i). » si optimos quosque Medicos consulas, nullum » facile invenies, qui vomitoriorum, et pur» gantium usum in quibusdam apoplexiis inter» dicat; licet pauci ex sordibus intestinalibus » illorum remediorum indicantia depromant, » sed potius ad cerebri idiopathicam affectionem, » ex serosa nimirum, vel pituitosa colluvie, res» piciant: non ad me pertinet, etc. ...... sed » id monemus, vomitoria, purgantia, clysteres, » tunc semper, et egregie convenire, ubi certa » signa adsunt vitiosorum, acrium in primis » viis contentorum humorum, qui non minus » ac venena, cruditates ex cibis, vermes, uti » quoscunque capitis morbos, sic apoplecticos » insultus excitare valent; neque tunc ad eos » tantum casus adstringenda esse, in quibus san» guineæ congestionis ad caput signa desunt; » sed etiam in iis locum habere, quibus facies » rubet, extrema calent, totus corporis habitus » viget; quum ipsum illum calorem, turgorem » sæpissime ex intestinali colluvie produci, et » foveri videmus etc. «

(g) *Loc. cit. pag. 37.*
(h) *Lib. III. De Morb. Cap. 3.*
(i) *De miro caput inter, et viscera Abdominis commercio.*

Hoc quidem confirmat STOLLIUS (k) scribens; » faciem prærubram, ac quasi minio pi-
» ctam in biliosis frequentissime video. Verum
» etsi intensa rubedine genæ micent, qua ad
» oris commissuram, et narium pinnas procur-
» runt, ruborem pallor excipit ex flavo virescens.
» Hunc oris habitum, precipue si et splendor
» quidam oculorum, quasi lacrymis innatantium
» accedat; adeo pro signo genuinæ inflammatio-
» nis non habui, ut eum inter potiora diagno-
» stica redundantis intra præcordia bilis repo-
» suerim «.

242. Si vero objicieretur, STOLLIUM hoc loci disserere de iis tantum biliosis, qui acuta febre laborant; responderem, eosdem ipsos aliquando evadere apoplecticos. Sed hæc eadem adesse signa etiam sine febre, tunc quum biliosa insidet primis viis colluvies horrendum in modum minitans, ideoque purgantia, atque emetica adhibenda esse, sequens ostendet historia.

Clariss. PLUDA amicissimus mei, Medicus de hac Civitate optime meritus, et morum suavitate unicuique dilectus pridie Idus Augusti anni 1787, me duxit convisurum Adolescentem quemdam Germanum, quem Ipse curabat. Adolescens, ut mihi prænarrabat, ætate annorum septemdecim, auricomus, forma, totiusque corporis constitutione satis commendabilis, solitus carnes edere quam avidissime, a pane vero, simplicioribusque cibis alienus, inventus est mane alto demersus sopore, ac cognitione orbatus. Adstantium voce, stimulisque tentabatur frustra: oculos vix ille apertos obserrabat rursum, quin ullum daret cognitionis indicium. Jubente Medico secta est vena, clysteria, et excitantia quoque remedia suppeditabantur; at nihil leva-

(k) *Rat. Med. Part. II. pag. 129.*

batur. Convisentibus nobis ægrum sub vesperas, hæc comperiebantur: turgebat illi facies, rubebatque: fugebant oculi rubentes, ac lacrymis madentes: pulsus debiles, exigui, humilesque aut nullam, aut ferme nullam prodebant febrim. Hæc nobis explorantibus obversabatur animo anni tempus æstu magno fervens, in quo biliosæ grassabantur diarrheæ, atque dysenteriæ, hinc una pronunciavimus adolescentem sopore correptum, quem biliosa fecerat primarum viarum colluvies. Quapropter oblatum est ægro tartarum emeticum aqua solutum; cujus ope magnam viridantis bilis copiam evomuit; hinc ipsi restituta continuo mens, loquela, ratiocinium. Asserebat autem nihil eo usque incommodi se persensisse, ac nihil de eo usque actis sibi constare. Subinde vero aliquot clysteribus, tenuibusque purgantibus adjutus, post triduum omnino convaluit. Sic mihi licuit nova observatione confirmare, quæ ex RHANIO, et STOLLIO desumpta asserebam supra; ex biliosa nempe colluvie præcipue faciem rubere, oculosque; licet aliquando pulsus exigui dejectique sint; absit vero febris.

243. Biliosa igitur colluvie supradictis detecta indiciis; statim clysteria, purgantia adhibenda sunt, et præcipue vomitoria: materies hujusmodi morbosa omnino evacuanda, ac cito; *periculum* enim *est in mora*. Inter remedia unum est vomitorium, quod statim agat. Nonne curaremus extemplo a ventriculo, intestinisve venenum exturbare; quod illic nosceremus? Cunctabimur autem, si bilis inest, quæ ad instar agit veneni? Audeat ergo aliquid, qui morbi causam in vitiata bile detexit; et ab hisce ægris blandi nimis absint Medici. Hac forte ductus ratione SENNERTUS (l) ipsam materie

---

(l) *Loc. cit. Quest. V.*

præparationem spernit, dum quæstionem solvit, quam ipsi proposuerat PETRUS SALIUS DIVERSUS: hic enim quærebat; *an stante cruditate pharmacum exhibere liceat apoplectico?* Respondet autem Ille: *ut præparationi opera detur, morbi magnitudo, et præsens, quod summopere urget, periculum prohibet.*

244. Extat quidem vulgatissimus HIPPOCRATIS (m) aphorismus; *Concocta purgare, atque movere etc.* At medicamentorum inopia ita Priscos coarctabat aliquando, ut ipsis liceret tantum morbos observare: nos contra novis instructi medicamentis possumus, et sæpe tuto, ipsis mederi. Præstat insuper ægrum curare quocunque modo, si principium aliquod venenatum, lethiferumque ejus minetur vitæ, uti bilis, in apoplexia, de qua agimus. Subdam postremo, quædam generalia medicinæ præcepta haud raro esse restringenda; HIPPOCRATEM imo idem præstitisse, præcipue vero hoc super præcepto, ut patet aphor. 24.

245. Sed quod vomitum generatim spectat, Vetustissimi quoque observarunt, bilem frequentius, tutiusque evacuari per vomitum solere. Id idem asserit HIPPOCRATES in libro de Morbis: *quantum quidem in ventriculo, et vesiculæ inest bilis, quod quidem in ventriculo est, aliquando deorsum exturbatur, plerumque vero in primis diebus vomitur.* Præferendum ergo est vomitorium, quod aptum est ad obsequendum naturæ, quæ in initio morborum ex vitiata bile, eam solet vomitu spontaneo eliminare. Quum vero temporis angustiis, urgentique periculo prohibeamur inquirere utrum matura sit, an cruda biliosa colluvies (quæ quidem cruda conjici debet, quum apoplexiam facit); et magis

---

(m) *Aphor.* XXII. *Sect.* I.

adhuc vomitorium adhibendum est, quoniam habetur aptum ad evacuandam bilem licet immaturam. *Subpurgandi sunt ventres*, ait rem confirmans HIPPOCRATES (n), *in morbis ubi purganda matura fuerint: inferni quidem ubi considisse videris. Signum habes si non anxii fuerint, neque capite gravati, et cum calores mitissimi, et cum post exacerbationes cessarint. Superni vero in ipsis exacerbationibus.*

246. Et enimvero haud raro vomitus spontaneus, ut supra adnotavimus, bilem initio morbi extrudit sæpe, vehitque salutem. Si ergo naturæ vires velut impeditæ id nequeant præstare; cur ejusdem naturæ auxiliatrix ars haud exhibebit remedium, quod vomitum excitet? Non ne prudentissimi viri, inter quos TISSOTIUS (o) vomitorium exhibent et epilepticis, quum morbi causam primis viis insidere detexerint.; licet et in epilepsia satis sit metuendus quilibet ad cerebrum humorum affluxus?

247. Plura suppetunt exempla, ut exposuimus (n. 154.) apoplecticorum, qui post venæ sectionem vomitorii usu constanter valuere; quibus alia addi possunt exempla. Virgo quædam, quæ tum menstruorum defectu, tum aliis hypochondriorum vitiis laborabat, apoplexia corripiebatur: brevi in pristinam rediit salutem clysterum usu, atque vomitorii (p). Cel. NICOLAJUS (q) historiam affert senis cujusdam satis vigentis, et cholerico temperamento præditi, qui apoplecticus evasit: contusa vena, sumptaque copiosa tartari emetici dosi, ingentem pituitosæ materiæ, ac bilis copiam evo-

---

(n) *Lib. VII. De Morb. Popularibus.*
(o) *Dell'Epilessia Cap. XX.*
(p) *Commerc. Noric. an. 1739. pag. 366.*
(q) *Ex* Moll. *loc. cit. pag. 38.*

muit, atque convaluit. Nova ejusdem morbi prænuntia post aliquot menses minabantur, sed repetitis vomitoriis imminens insultus arcebatur.

248. Tandem ventris infimi colluvies triplici modo apoplexiam, de qua hic agitur, gignere posse videtur, ut vidimus (n. 155.). Primo quidem nil forte materiei morbosæ in cerebrum fertur; ast ægrotante ventriculo ob quemdam inexplicabilem consensum ægrotat quoque encephalum. Secundo vero quum bilis colluvies copiosiorem sanguinem ad cerebrum propellit. Tertio tandem, quum aliqua abdominalis colluviei particula in cerebrum ipsum intruditur. Si primum dicas, cum nihil cerebro insit morbosi, tutissime vomitorio uti potes, emisso prius sanguine e vena: si alterum, aut tertium asseras, adhuc vomitorium esse adhibendum censeo, ut sublato fomite bilis, tum eam prohibeas cerebro augeri, suamque vim exerere funestissimam, tum sanguinem copiosiorem a cerebro arceas, quem actio bilis in præcordia illuc determinare posset congestiones forte effecturum.

249. Hoc ideo loci serio animadvertendum est, vomitorium, quod cæteris remediis huc usque anteferendum probavimus, absolute adhibendum esse antequam sympathicus morbus fiat idiopathicus, hoc est antequam sanguis in vasis cerebri, ejusve involucrorum consistat congestus, aut in cerebro fiat materiei biliosæ metastasis. Quod enim vomitorium vitam servaret ante congestiones, atque metastasim, post eas forte mortem promoveret. Quapropter præstaret vel maxime Medicum dignoscere posse temporis punctum, quo congestio, sive metastasis in cerebro fiat, Quibus ergo indiciis harum tempus inquirere licebit? Rem quidem inquisitu difficilem primis præcipue earum inchoamentis.

250. Hæc tamen, quæ sequuntur, aliquod lumen videntur afferre posse. Primo nempe quum sanguinis congestiones cerebrum comprimunt, tunc arteriarum pulsus elatiores, ut plurimum, vividiores, atque tardiores evadunt; rubor faciei extensione augetur, et saturitate; oculique aliquam sæpe produnt mutationem.

Secundo autem, materie morbosa a ventriculo in cerebrum transvecta, veraque metastasi facta, arteriarum pulsus, præcipue si notabilis sit metastasis, qui molles erant tota bile præcordiis insidente, durescunt satis, vibrati fiunt, angusti, rigidi, nihil omnino prementi digito cedentes; minusque frequentes evadunt, imo aliquando naturalibus vix celeriores: idque forte ex eo, quod materies metastatica habet non solum comprimere, sed etiam valde irritare cerebrum, ejusque involucra. Verum fere semper est perniciosa, atque lethalis hujusmodi ad caput facta metastasis, si adeo valida sit, ut supradicta prodat indicia; tunc seroso latice turgidissimos laterales cerebri ventriculos in extispiciis offenderunt Observatores.

251. Quapropter ex his omnibus ulterius constat, quam præstet uti vomitoriis, priusquam sanguis congeratur in cerebrum, cerebrumque comprimatur; imo vero priusquam aliæ fiant metastases, quæ certo perficientur; nisi subito eliminetur in morbis præcipue febrilibus abdominalis colluvies.

252. Jam vero inter vomitoria laudantur, quæ ex antimonio sunt parata. Minus enim accommodata videtur apoplexiæ hujus speciei ipecacuanhæ radix, quæ aut effœta est, aut sordibus non raro stomachi involuta nullum, aut non pro dignitate præstat effectum. Illi ergo anteponendum est tartarum emeticum in aqua, quæ sit purissima, solutum. Id quoque adnotandum, quod hisce apoplecticis nocere possunt

aquæ potiones, quæ sumpto emetico ad faciliorem vomitum reddendum satis abunde exhibentur: hisce enim copiosis potionibus stomachus tumefit nimis, distrahiturque; hoc autem semper perniciosum est in apoplexia. Ab ea ergo abstinendum erit methodo, quæ tamen generatim debet probari.

253. Purgantia quoque subsidium afferent, præcipue quum æger emetico usus fuerit, visque morbi aliquantum remiserit. Salia vero, manna, tamarindi, tartari cremor, hisque similia reliquis videntur anteferenda. Quum vero hisce in ægris spasmi abdominales facilius excitentur, ideo exhibenda sunt etiam, quæ sedantia sint, et antispasmodica: inter quæ selegisse juvabit, quæ minus calida sint; et ea quoque clysteriis copulare præstabit.

254. Diximus tandem (*n.* 163.) senes, et senescentes, præcipue si vitam agant quietam, aliquando apoplexia consensuali corripi, quæ pendet a pituita primis viis coacervata. In hac quidem apoplexia a venæsectione abstineri præstat, aut saltem quam diligentissime omnia expendenda sunt, priusquam ad eam procedatur. Præstabit autem clysteres præscribere aliquantum stimulantes, purgantia; imo et emetica, siquidem materies deprehendatur mucosa, ut in ægro, quem SCHOENHEIDERO referebamus (n. 164.). Ibi quoque utilitatem vidimus maximam attulisse Cœnobitæ (n. 166.), tum purgantia ex manna, et cremore tartari, tum clysteres, aliquantulum extimulantes.

CAP. XIX.

Ratio Curandi Apoplexiam a febri intermittenti exortam.

255. Quum bilis potentia in febribus intermittentibus alendis ab omni tempore cognita sit (r), quumque viri gravissimi affirment (n. 153. 169.) se ne minima quidem læsionis vestigia invenisse in cerebro eorum, qui ex periodica febri apoplectici obiere, sed tantum bilis corruptæ copiam eorum præcordiis insidentem; obvium ideo est, curationem subinde hoc loci tradere illius apoplexiæ, quæ ex febri intermittenti exoritur aliquando. Ubi ergo ad ægrum apoplectica febre decumbentem vocaremur, in ipso quidem paroxysmo non alia adhibenda sunt remedia, quam quæ præsens periculum possunt imminuere, ac felicem præcipue accessionis crisim promovere.

256. Exacto autem feliciter paroxysmo, sequentis accessionis metuenda est ferocia, imminentisque periculi certitudo; hinc tempus corticis peruviani usui opportunum frustra non est terendum. Ad summum si sanguinis copia adsit, atque turgor, venæsectio instituenda; et siqua sursum turgescens primarum viarum colluvies emeticum postulet; emeticum lene, antimoniale est propinandum. Sed vix finita remedii actione ad largiorem corticis usum accedere non cunctabimur; ita ut duas pulveris drachmas quavis tertia, vel altera hora ægro præbeatur, ne ille, superveniente exacerbatione e vita decedat; et turpe illud Medico su-

---

(r) Selle *Rudimenta Pyretologiæ Meth. Ord.* 4.

persit unice effugium; *quis hoc credidisset*? ut optime scripsit prudentissimus RHANIUS (s).

257. Liceat ergo rursus hic instare, ne tempus teratur in morbis hujusmodi, sed ægris cito china-china, nec parca dose, exhibeatur. Medico enim cunctante, parvaque remedii quantitate morbus insidiis plenus, ac sæpe fatalis nequit compesci: non est curanda nimis alvi purgatio, neque est metuenda haud modica corticis quantitas. Me quidem pœnituit nunquam hac mala morbi detecta natura suppeditare notabilem corticis dosim: idque sub finem alterius paroxismi; ut quo diutius fieri possit, remedium suam exerat actionem, qua vel futuram accessionem prohiberet omnino, vel saltem retunderet.

258. Ast hic mihi præbetur occasio aliquid referendi de ægris hujus generis duobus, quos bono fato inter cæteros curavi: alter enim præferebat peculiares morbi circumstantias, alter dum hæc scriberem meam in sui subsidium vocabat opem.

Primus erat FERDINANDUS Comes CALINUS, Ecclesiasticus generis nobilitate, morum pietate, scientiaque, cujus specimen tum verbis tradidit, tum typis vulgavit, præclarus. Hic autumnali tempore anno ætatis suæ sexagesimo septimo, dum rure vacaret, corripiebatur febre cum horripilationibus, quæ æstu superveniente invehebat alternis diebus verum soporem apoplecticum, alternis verum delirium. Nam prima morbi die post frigus subsecuto calore æger optimus apoplectico tenebatur sopore; qui tamen post horas octo circiter, febre declinante, solvebatur ita, ut Domestici morbum conjectarent omnino evanuisse.

(s) *Advers. Medic. Practic. Vol. I. Cap. III.*

At die sequenti (morbi secunda) redibat aliquo cum frigoris sensu febris, quæ, loco soporis apoplectici, delirium adferebat. Tunc ab Urbe advocatus rus sub vesperas perveni, et in ægrotante Viro tum febrim observabam jam desinentem, tum quæ metuenda comitabantur phænomena; inter quæ aderat sanguis urinæ immixtus, et alia quidem putridæ dissolutionis indicia. Proximo diei tertiæ mane, cum primis viis videretur biliosa colluvies inesse, jussi remedium, quo satis alvus purgaretur. At purgantis actionem subsequebatur febris diei tertiæ, quæ rursus soporem apoplecticum primo majorem invehebat. Peractis iis, quæ minus inepta videbantur ad præsentem accessionem compescendam, declinante febri, notabilem chinæ chinæ quantitatem exhibui; hac non obstante renovabatur die quarta tum febris, tum delirium. Hac quoque vix declinante accessione æger optimus, me quidem suadente, doses corticis iterum, iterumque sumebat. Specificum ita devicit morbum, ut et quintam febrim cum sopore, et sextam cum delirio, aliasque futuras quascunque prohiberet omnino. Sed ad alteram procedamus observationem.

HYERONIMUS Comes NEGROBONUS ætatis annorum sexaginta, cui me totum devoverat gratus animus, libensque, erat Æger alter, Vir sanguine, moribus, officiis spectatissimus. Circa Kalendas Octobris anni 1787. eum adoriebatur febris absque ullo frigoris sensu; cujus naturam insidiis, periculisque plenam patefaciebant ea, quæ sequunrur phænomena. Febris nempe, cujus periodus erat horarum ad minus triginta duo, doloresque acutissimi, colicos nephriticos similantes, Ægrum lacessebant, cui passim videbantur deliquia imminere: comitabantur tum gravis ad somnum proclivitas, tum vaniloquium; quæ tamen omnia post horas triginta duo compescebantur.

Tunc emetico-cathartica potio ei propinabatur, qua fœces biliosas dejecit copiose: quæ tamen dejectiones subsequentem nequiverunt febrim cohibere, quæ immo satis valens majora minabatur, mecum mœrentibus valde Proceribus Urbis, Civibusque. Inter unam tunc, alteramque accessionem, duobus aliis assentientibus experientissimis Medicis, tres cum dimidio uncias corticis sumpsit, quæ tantum potuere febris subingredientis imminuere symptomata. Postremo tandem iteratis Chinæ-Chinæ dosibus morbus omnino evanuit.

259. Sed accidit aliquando sive ob deglutitionis vim sublatam, sivé ob vomitus pertinaciter perdurantes ægrum ingerere non posse sufficientem corticis quantitatem. Tunc optimo cum successu clysmata substituuntur ex China-China parata, atque per justa intervalla repetita. Quod si neque chinata clysmata, nec qualescunque corticis præparationes febri suffocandæ sufficerent; tunc juxta clariss. Virorum consilium opii vires supererunt tentandæ.

260. Tali vero posita necessitate, unà circiter ante novam accessionem hora, Opii sufficiens portio est porrigenda. Extant quidem, qui utilius existimant, semihorium post caloris initium Opium exhibere (t): hæc tamen methodus non videtur accomodata omni febri intermittenti, quæ sit apoplectica: quum saltem aliquando, dum ingruit febris, adoriatur et apoplecticus sopor.

Hinc quædam in tanti remedii administratione observandæ sunt leges: harum est præcipua; si nempe causa desit materialis, et unus character nervis impressus febrim efficiat. In febribus tamen intermittentibus, quas soporosas,

---

(t) Murray *loc. cit. Tom. II. pag. 210.*

sive apoplecticas dicunt, Opium, causa licet adhuc adsit materialis, est porrigendum, materialisque causa post febris suffocationem tollenda. Nimium enim est, quod instat periculum (16).

CAP. XX.

Ratio Curandi Apoplexiam ex hypochondriasi, atque ex difficultate tum fluxus Menstrui, tum hæmorrhoidalis, et etiam ex podagra abdominalibus nervis insidente.

261. Extat apoplexia, quæ ut vidimus (n. 131. 132.) ex spasmo viscerum abdominalium exoritur. Illud etiam adnotavimus, quod ab eorum viscerum, artuumque inferiorum spasmo sanguinis motus in iis partibus præpeditur, aliorsum avertitur, cerebrumque versus majori impetu determinatur. Quare hujusmodi ingruente apoplexia venæ-sectionem instituere oportet, ut et humores ad cerebrum affluentes arceantur, et ut jam remorantes alio deriventur. HOFFMANNUS quidem pluribus in locis, præcipue vero in suis Consultationibus, venæ-sectionem probat in ea apoplexia quæ, ut Ipse scribit, *viros hypochondriacos, fœminasque hystericas sæpenumero infestare solet* (u). Auctor idem, dum suum

(16) *Super hac re legi meretur perutilis Dissertatio* Joannis Jacob. Schaertlich De Usu Opii in Febribus intermittentibus. *Goettingæ 1783. et in suo Delectu Opusculorum Medicorum posita a Clariss. et de nobis meritissimo* Frankio.

(u) *Consult. Medic. Cas. XVI.*

profert judicium super ægrum, qui casu decimo nono describitur, hæc ait: *morbum equidem non alium esse judico, quam leviorem apoplexiam passioni hypochondriaco-spasmodicæ supervenientem, cujus certe accessio hypochondriacis frequentior, quam a Medicis dijudicatur, deprehenditur. Hoc vero apoplexiæ genus tempestivis venæ-sectionibus, clysteriis, pediluviis, aliisque sanatur.*

Præstantissimus quoque MORGAGNUS (x), bis jussit eadem die venam contundere Sacerdotis cujusdam apoplexia correpti, qui ab aliquot annis convulsivas patiebatur hypochondriorum affectiones. Putabat quidem MORGAGNUS Sacerdotem periclitantem ex multi seri affluxu; sed tamen subdit: *constrictis insuper, ut sæpe in hujusmodi convulsivis hypochondriorum affectionibus usuvenit, sanguiferis in ventre vasis, illa propterea, quæ ad cerebrum attinent, magis sanguine distendi crederem. Sic in aliis quoque feci eodem exitu.*

Contundenda igitur est isce apoplecticis vena: in iis enim præsumenda est plethora saltem localis, partialisque vasorum, quæ ad cerebrum attinent; licet absint signa, quæ innuant totum vasorum systema sanguine redundare.

262. Emissa vero opportuna sanguinis quantitate, exhibenda subinde sunt remedia, quæ et compescere valeant hypochondriorum turbas, et alio avellere humores caput gravantes. Effugienda vero sunt omnia stimulantia, quæ his præcipue apoplecticis nocent quammaxime. E contra fomentationes, cruriluvia, clysmata emollientia quam aptissima sunt reputanda. Quod si suspicemur primis viis saburram inesse, quæ flatus pariat, aliasque turbas hypochondriacas augeat, purganda est leniter alvus, idque blandis remediis præstare juvabit.

(x) *Epist. Anat. Med. IV. n. 15.*

263. Ast inter hypochondriasis symptomata frequentissimæ sunt hæmorrhoides; licet non raro hæmorrhoidibus sint obnoxii, qui nequaquam sunt hypochondriaci. Inter hos tamen, qui sanissimi, fortes, vegetique non sunt, spasticis abdominis turbis conflictantur, quotiescunque ex intervallo instat hæmorrhoidum fluxus, uti adnotavimus. His quoque ægris accommodata est methodus supra descripta. Curandum tamen est, ut et fomentationum, vaporumque usu, imo vero et hirudinum ope hæmorrhoidales venæ deonerentur.

264. Si vero mulier apoplectica evadat ex eo, quod menstrua cum difficultate, ac dolore fluant; in primis emittatur sanguis necesse est, ut vasa uteri nimis distenta expediantur. Quum vero in hujusmodi apoplexia maximum ferant auxilium menstrua facilius, atque copiosius fluentia, uti et LORRYUM observasse vidimus (n. 140); adhibenda ideo sunt, quæ ad hunc effectum aptiora videntur, remedia. Ex his tamen respue stimulantia, præcipue si adsit nimia fibræ irritabilitas, nervorumque mobilitas, quæ fere semper hunc morbum quidem comitari solent. Tunc optimum præstabunt effectum fomentationes, semicupia, clysmata emollientia, sedantia, antispasmodica, atque similia.

265. Quum vero abdominales spasmi excitentur a materia podagrica; quæ in nervis abdominalibus se se manifestet, ibique *atona* sæviat; tunc post pedis venæ-sectionem sedantia adhibenda sunt remedia. Hisce peractis præstat topicis remediis insidiosum fomitem ad extremas ignobiliores partes invitare. Hinc adhibeantur fomentationes, pediluvia, epispastica, atque vesicatoria, Celebr. HALLERUS laborare solebat podagra; quam quidem, siquando vel infimum ventrem divexaret, vel aliam, quam nollet, partem, ad pedes revocabat pediluvio-

rum ope, quæ ex sinapis decoctione parabat. Inter adjuvantia subtilissimi fomitis transmigrationem ex uno loco in alterum memoratur a præstantissimo MURRAYO (y) nixus signanter partis cujusdam intensior. Stimulata enim, sive debilitata a nixu pars ad suscipiendum virus alicubi latens aptior evadit. Valida ergo extremarum partium defricatio, atque distensio poterit maxime prodesse.

266. Si vero diglutitio impedita non sit, juvabit uno, eodemque tempore ad naturæ vires augendas ægro exhibere aliquantulum vini Canariensis, sive Burgundiensis, uti innuit LIGERUS (z). SYDENHAMUS quoque, atque MUSGRAVIUS energica vina commendant paullatim sumpta, præcipue quum podagricus fomes stomachi, ac intestinorum excitat turbas antequam extremitates occupet. In hujusmodi tamen apoplexia caute procedendum.

CAP. XXI.

Ratio Curandi Apoplexiam ex venenis per os sumptis, fungis, Opio, aliisque similibus.

267. Siquis corripiatur apoplexia, quæ a veneno per os sumpto exoriatur, difficile est peculiarem, appositamque præscribere medendi rationem. Quapropter opportunum videtur, aliquot generales veluti regulas recensere, quas jam præclarus protulit CULLENIUS (a).

(y) *De Materia Arthritica ad Verenda aberrante Disquisitio. Goettingæ 1785.*

(z) *Traité De la Goutte Part. III. Chapitr. XI.*

(a) *Loc. cit Cap. De Apoplexia ex venenis.*

Primo ergo qui apoplecticus evadere videatur paullo, postquam venenum sumpserit, si sponte vomit, arte quoque ejus vomitus promoveatur; si contra id non faciat sponte, Medicus curet, ut arte statim e stomacho sumptum venenum extrudat. Qui vero veneni jam pridem sumpti actionem sero persentiat, ille aut nullam utilitatem ex vomitu, aut damnum quoque percipiet.

Secundo. Admodum probabile est venenum jamdiu sumptum, quodque apoplexiam fecit, aut in cerebro humores aliquos congessisse, aut motum humorum saltem imminuisse in cerebri vasis. Præstabit ergo e jugularibus sanguinem mittere, sive brachialibus.

Tertio. Supposita in cerebro humorum motus imminutione, eorumve congestione, adhibenda erit ea medendi methodus, quæ tum congestiones tollat, tum humoribus naturalem restituat motum. Hinc generatim acriora clysmata alvum exonerando adjumentum ferent.

268. Verum, siquid ego video, ulteriora requiruntur: nihil enim imminutionis motus, nihil congestionis, ut plurimum, metuendum est, quibusdam agentibus venenis, quæ vel sanguinem ita solvunt, ut hoc ipso apoplexiam cum morte ferant, vel convulsiones excitando necant. Hæc autem exitia augeri imo possent aliquando ea medendi ratione, quæ ad motum sanguinis accelerandum, vel ad congestiones auferendas institueretur. Ast in præsentia nequimus hac super re ex professo disserere.

269. Interim nostris in regionibus venena, quæ frequentius mortis apoplecticæ periculum inferunt, sunt fungi, et Opium. Si ergo ab Opio nimia quantitate sumpto pendeat apoplexia, omnia adhibenda sunt, quæ ægrum a sopore excitare valent: vena secanda, si adhuc vigeat pulsus, frigidusque absit sudor, emetica

energica sunt exhibenda, ut tartarum emeticum, et vitriolum album, præcipue si sensum amiserit ventriculus, suamque irritabilitatem.

270. Sed præstantissimus MURRAYUS (b) experimentis innixus memorabilem affirmat potentiam ad Opium debilitandum inesse Ipecacuanhæ; quæ vel sola potest exhiberi, vel aliis utiliter emeticis addi. Etenimvero Puella quædam unciam bibit tincturæ, in qua scrupulus Opii continebatur: at licet sopore, convulsionibus, et spasmis vexaretur, e periculo tamen evasit sumens iterum iterumque Ipecacuanham (c). At quantum ista sit potis vim infringere Opii, indubie patet ex pulvere DOVERI, in quo duo, vel plura continentur Opii grana, totidemque Ipecacuanhæ. Hujusmodi enim pulvis unice sudorem promovet, ut ex quotidianis præcipue constat Anglorum observationibus.

Si vero pharynx, et œsophagus spasmo contrahantur, ut nihil deglutiri possit, tunc remedia per tubum metallicum demitti jubet BOERHAAVIUS. Quod si jamdudum Opium ab ægro sumptum fuerit, præstabit loco emeticorum maximam aquæ limonatæ, sive aceto mixtæ quantitatem propinare, et clysmata ex aqua, et aceto injicere. Quum vero insultu jam devicto, stupor maneat, tristitia, atque debilitas; occurrere hisce oportet aqua frigida, sale absyntii, et sale quoque viperino parva dose propinato.

271. Par autem esse debet ratio medendi etiam iis, qui aliis narcoticis opprimantur. Stramonium enim, Bella Donna, Hyosciamus tum in corpore viventis, tum in ejus cadavere eosdem, quos Opium, pariunt effectus. Agen-

---

(b) *Appar. Medicam. Tom. I. Ord. XIII. pag.* 444.
(c) Murray *Loc. cit. ex* Smith' *Dissert. de Spasmis*.

tibus enim venenis hujusmodi, totius corporis calor satis augetur, facies rubet, pelle exiliunt maculæ quædam, veluti echimoses, externus orbis palpebrarum præsertim nigrescit: sæpe etiam ex oculis, ex naribus, ex auribus, atque ex ano exprimitur sanguis: pulsus vero pleni sunt, vividique: oculi fulgentes, os spumas agens; lenta respiratio, membra rigescentia, et aliquando convulsa: si vero ad sanitatem redeant, incommodis capitis torquentur. In eorum vero cadaveribus ea pariter observantur, quæ in cadaveribus ex mephiti, aut ex Opio defunctorum.

272. Quum vero BOERHAAVIUS, cui subscripserunt HALLERUS, TRALLESIUS, LUDWIGIUS (d), aliique plures, multam Opium inter et vinum affirmaverit analogiam; ideo (quicunque cæterum sit hujusmodi analogiæ gradus) præstare videtur curationem hoc loci tradere apoplexiæ, quæ ex ebrietate gignitur aliquando. Siquis ergo ex hac causa apoplecticus fiat, primo æger pronus locetur, aut ita saltem, ut facile evomere possit: imo vero si ventriculus turgescere videatur; tunc aut guttur irritando, aut potionem ex oleo, et aqua tepenti exhibendo, vomitum promovere necesse est. Maximam vero afferent utilitatem clysmata, quæ et irritando alvum deonerent: mergantur tandem aqua tepenti ebrii crura. Si vero liceat, tentanda est venæ-sectio.

273. Si denique a fungis gignatur morbus, emeticum statim exhibendum est, vomitumque decoctione altheæ, oleoque magis magisque promovendum. Quum vero admodum difficile fit hoc in casu vomitum excitare, optimam propterea opem fert Nicotianæ decoctio clysteris ope

---

(d) Murray *loc. cit. Tom. II. pag.* 196.

iniecta, utpote quæ adeo necessarium vomitum excitet. Hac decoctione ab imminente morte erepta fuit anno 1761. Princeps fœmina de CONTY, uti refert Clariss. POULETUS (e), a fungis venenata: hoc enim tandem remedio vomitus excitatus est, postquam alia plura emetica frustra jam tentata fuerant.

CAP. XXII.

Ratio curandi Apoplexiam, quam faciunt Vapores Mephitici.

274. Quum de venenis hic sermo sit, haud absonum erit methodum subinde tradere curandi eas apoplexias, quæ ex mephiticis exoriuntur vaporibus. Et primo quidem hujusmodi apoplecticos extrahamus oportet, sive a sepulchris, sive a cellis vinariis, sive ab aliis subterraneis locis, in quibus miseri moriebantur. At qua ratione id, sine alterius mortis periculo, præstare licebit?

275. Notum est aerem loci subterranei, sive sepulcri purgari, et ad respirationem idoneum reddi ignis ope, quam quidem facilius suppeditat pulveris pyrii explosio. Contra vero aer, qui in cellis vinariis, similibusque locis, fermentescentibus onustus est vaporibus; purgatur, et ad respirationem aptatur, aquæ ope. Quare diversa methodo destruendæ sunt causæ diversæ, quæ mortem mortalibus minantur. Quæ quum ita se habeant, diversimode quoque mederi debemus hujusmodi apoplecticis: quæ enim ratio curationis unum juvat vel maxime, eadem alteri omnino nocebit.

(e) *Memoires de L'Acad. Roy. de Medicin an. 1776.*

276. Jam vero hac apoplexia correpti sive a sepulchro, sive a cella vinaria, sive a conclavi vaporibus carbonum referto sublati, aerique aperto expositi, statim methodo, quæ melior inventa est, nobis tentanda est curatio. Non enim miseri hujusmodi negligendi sunt, licet a pluribus horis spiritu exinanita videantur cadavera: haud veram indicant mortem pulsus respirationisque defectus, membrorum rigor, et insensilitas; quemadmodum oculi viventis similes, membrorum flexibilitas, et calor haud semper vitam significant.

277. Statim ergo aqua frigida abluendus est æger: res esset periculo plena eum super cineres calescentes sternere, pannisque calefactis fovere, licet hæ satis juvent aquis submersos. Eidem quoque noceres, si in ejus anum induceres fumum nicotianæ. Hujus enim vis narcotica haud parum damni invehet in ægrum, cujus irritabilitas, atque sensilitas sint imminutæ valde, et forte etiam extinctæ. Præterquamquod, fumus nicotianæ, quum multum aeris, dum injicitur secum ferat, nimis intestina distendit: hinc urget diaphragma pulmones versus, iisque figit ferme: quare tum auget suffocationem, tum eam, quæ nimis ibi dominatur, humorum rarefactionem. Acetum itaque aquæ immixtum, et injectum satis irritabit intestina, rarefactionem minuet, atque hinc maximo erit adjumento ægris hujusmodi.

278. Non me latet plerosque censere nicotianæ fumum minus officere aqua submersis: iisdem tamen, quos asphixiæ gradus extremus occupat, melius consulas, si ab hujusmodi remedio abstineas omnino; juxta recentiores observationes, quas apud Gallos PORTALIUS, apud Italos plures instituit TESTA (f).

(f) Bianchi *loc. cit.*

279. **Est igitur curandum in primis**, ut diximus supra, ut multum aquæ frigidæ in caput eorum infundatur, qui ex mephiticis exhalationibus, et signanter ex vaporibus carbonum apoplectici evasere: id enim satis, ac cito eos juvat. Sanguis eorum ad summum, ut constat, rarefactus aspersionibus hujusmodi densatur, et ad naturalem statum facilius restituitur.

280. Nec minus nitendum, ut eorum cerebrum valde oppressum levetur, motusque sanguinis jam pene sufflaminatus augeatur: hinc venæ-sectio instituenda, signanter vero jugularium. Major autem sit, vel minor emissio sanguinis; iteretur etiam, prout rerum postulabunt circumstantiæ.

281. Verum sanguinis motus restituitur etiam, aptis in pulmones insufflationibus. Quo vero purior, majorique elasticitate donatus inducatur aer in hujusmodi apoplectici pulmones: eo magis, citiusque juvabit. Hinc minus aptus quidem censetur aer, quem homines expirant: at nihilominus fiat hæc insufflatio; quæ licet minus apta sit ad effectum, commodius tamen obtineri potest, citiusque. Felici eventu munerabatur pietas Chirurgi TOSSACHII (g). Ipse enim in os rustici cujusdam ex fumis apoplectici ore suo, tamquam Salvator, ut scribit SAUVAGESIUS, fortissime inspiravit, unde pectus ægri paullulum dilatatum, et cor pulsare cæpit. Hoc autem præcipue auxilio iterato post horam oscitavit, post alteram motum, sensusque recuperavit omnium anteactorum immemor. Sed in horum apoplecticorum pulmones induci potest aer quoque atmosphericus: idque sive siphonis

(g) *Ess. d'Edimburg Tom. VI. Art. XXXVI. Tota hæc ipsa observatio videri potest etiam apud* Martinium *Della morte apparente degli Animali ec.*

ope, sive idonei follis. Quod si ægri os sit præclusum; per nares idem aer invehi potest.

282. Opportunum quoque est hujusmodi ægrorûm corpus fricare: sic enim ad circumferentiam a centro moti revocantur humores. Extant quamplurima exempla apoplecticorum hujusmodi, qui uno frictionum usu convaluerunt omnino (h). Præstat autem eosdem fricare manibus, sive pannis aceto intinctis: sic enim densantur rarefacti humores.

283. Remedium insuper censetur aptissimum *fluor alcalinus volatilis*. Hac vero methodo remedium hoc adhiberi solet: primo quidem duo veluti fusuli chartæ dicto liquore imbuti in nares inducuntur; deinde ejusdem spiritus guttæ decem, aut duodecim aqua immixtæ deglutiendæ exhibentur. Huic tamen remedio anteferunt alii celebrem quam dicunt *Lucis* aquam; quæ ex spiritu salis ammoniaci, et ex oleo karabis componitur. Non impedita vero deglutitione, aquæ limonatæ potus est exhibendus.

284. Postremo observationibus iterum, iterumque institutis compertum est, plurimos hujus speciei apoplecticos convaluisse vapore electrico in eorum corpora invecto. Hic quidem vapor, quum valde, ac cito agat in omnes corporis partes extimulando, imo vero immediate in cor ipsum, potest ejus rursum excitare maximam irritabilitatem, quæ vitæ fons, et origo censenda est. Observationes autem, quibus hujus remedii patet utilitas, videri possunt apud plures Auctores, apud celeb. præcipue BERTHOLONUM (i), et apud humanissimum BLANCHUM (k).

(h) Michael Adolphus *Dissert. De Friction. apud* Blanchun *Loc. cit. et apud.* Martinium *Loc. cit.*

(i) *De L' electricité du Corps Humain Dans l'etat De Santé, et De Maladie Tom. I. pag.* 517. *et suiv. et Tom. II. pag.* 91.

(k) *Loc. cit.*

CAP. XXIII.

Ratio Medendi Apoplexiæ, quæ ex pectore male affecto exoriatur.

285. Expositum fuit (n. 172.) apoplexiam haud raro exoriri, quum spasmus pectoris viscera, eorumque vasa perstringens viam præcludit sanguini e cerebro in cor regredienti. Tunc ergo nitendum est, ut spasmus auferatur: hoc autem in casu utilem, vel maxime futuram censeo sanguinis missionem ex jugularibus. Hæc enim, observante Celeber. HALLERO (l), non modo pulmonem levat, qui spasmo obstrictus solet sanguini opprimi; sed et sanguini in cor refluenti viam sternit, eique, etiam quiescenti restituit motum. Si vero spasmus pectoris a materia irritante exoriatur in primis viis latente: tunc præmissa venæ-sectione irritans causa est evacuanda.

286. At vidimus quoque apoplexiam gigni, siqua pars, quæ pectori insideat, materiei vitiatæ de prima sede demigret, et aliquo modo in nervos cerebri transferatur. Quæ materier et solo pectore detenta, sympathicam apoplexiam efficere potest aliquando si nervos pectoris torqueat spasmo, qui cerebro communicetur. Apoplecticis hisce ea sunt exhibenda remedia, quæ juxta diversam causarum vellicantium, sive prementium naturam, accommodatiora videantur. Siqua tamen methodo fieri possit, nitendum est fere semper, ut e pectore materies vitiata exturbetur.

(l) *Memoires sur le movement du sang pag. 202. ac Element. Physiolog. Tom. III. Lib. VIII. Sect. IV.*

CAP. XXIV.

Ratio Medendi Apoplexiæ Nerveæ Idiopaticæ, et primo illi, quæ a summa præcipue nervorum sensilitate, ac mobilitate exoritur.

287. Quid agendum, quum apoplexia est vere convulsiva, quumque exoritur a solis nervorum turbis, eorumque motuum irregularitate? Nos remedia seligenda docebunt morbi gradus, Ægri temperamentum, vires, ætas, sexus; maxime vero ejus major, vel minor sentiendi vis, mobilitas, irritabilitas, atque procatharticæ causæ indoles, qua in ægro nervi male afficiantur.

Si morbus ergo ad summum pervenerit gradum, præstabit continuo aerem liberiorem reddere, faciem frigida aspergere, nares aceto irrorare: si vero ægra sit hysterica, graveolentes diffundantur odores, clysteresque suppeditentur anti-spasmodici, quibus et Opium addatur, præsertim si causa adsit dolorifera, atque irritans. In ægris enim peculiari irritabilitate, ac sensilitate præditis ad deglutitionem restituendam clysmata Opio commixta laudantur valde (m). Si contra morbus haud maxime sæviat, præ oculis habere debemus pediluvia, fomentationes, venæ sectiones; antispasmodica interna, inter quæ præcipue valerianæ infusum, vel quidquid tandem habet spasmum compescere, et sensilitatem nimiam moderari.

288. Verum (n. 90. 91. 92.) asseruimus prægnantes, parientesque mulieres, utpote spasmis nervorum, ita et nerveæ satis obnoxias esse apoplexiæ. Nitendum ideo in primis est, ut

---

(m) Murray *loc. cit. Tom. II. pag.* 216.

causæ arceantur a mulieribus hisce tum physicæ, tum morales, quæ habent earum nervos urgere, atque adeo periculosum morbum excitare, consultius enim est illum evitare. Avertantur ergo ab illis, quam fieri potest, animi commotiones, metus signanter mortis ex partu, qui illarum infensissimus nervis solet eas sæpe torquere.

Quod ad causas vero physicas, quæ plures esse possunt, hoc unum attingam; gravidas nempe mulieres plæthoræ sæpe, ac phlogisticæ diathesi obnoxias esse, uti adnotavit TISSOTIUS (n), idemque ego quidem pluries observavi. En ergo causæ nervis infensæ nimis, quæque possunt peculiari vi apoplexiam promovere. Expediet itaque in prægnantibus plethoram compescere, phlogisticamque dispositionem: quod quidem illis haud parum afferet utilitatis partus tempore, ac puerperii.

289. At quoniam partus præsertim angustiæ, ac puerperii difficultates minantur eam, de qua agimus, apoplexiam; idcirco inter ejus remedia præservativa Opium eminere videtur. Me quidem haud latet Opium ab aliquibus reprobari Clariss. Viris (o): ast in extremis præsertim partus nixibus, ac protinus expleto partu optimum videtur aliquando futurum. Tunc enim animus agitatur quammaxime, et corpus; ideoque spasmus dominari solet semper metuendus. Quare viri experientissimi, ut spasmum vel averterent, vel compescerent, Opium suppeditarunt. Hos inter SWIETENIUS recensetur, qui sic loquitur: *candide fateor me semper adhibuisse opiata post partum, nec pœnituit un-*

(n) *Tratt. De' Nervi Tom. II. Part. I. Cap. VIII.*
(o) Levret *L' Art Des Accouchem. pag.* 138.

quam, cum sancte testari possim, quod nunquam inde ullam noxam viderim (p).

290. Opium vero magis videtur adhibendum, si puerpera sit convulsionibus obnoxia, sique illis præcipue tempore graviditatis fuit conflictata. Neque hujus remedii vis calefaciens est metuenda; phlogistica enim dispositio, siqua adsit, retundi poterit apta venæ-sectione; et Opium parva dosi iteratis vicibus propinatum vim præcipue exeret spasmos compescentem. Quod adeo verum est, ut viri præclarissimi Opium exhibeant et in morbis inflammatoriis omnino, dummodo adsit spasmus (q).

291. Neque ab Opio est abstinendum si viribus ægræ deficiant, pulsusque arteriarum prodant exiguos, sive evanescentes: cordis enim motum auget, pulsusque roborat, expanditque (r). Hoc idem cum plerisque affirmat TRALLESIUS (s) se observasse in iis quoque, quorum pulsus ob nimias evacuationes torpuit valde. Quid vero, si adsint hæmorrhagiæ, earumve metus? Videbimus alibi, Opium hæmorrhagias amovere, atque sedare.

292. Ex dictis huc usque colligitur in hoc morbo adhibenda esse remedia tantum sedativa, anodyna, antispasmodica; rejicienda autem esse stimulantia. Sed quod ad stimulantia; numne et vesicatoria semper vitanda sunt et omnino in spasmodica apoplexia? Licebit ne unquam ea ægris præcipere, qui natura sint, aut pro tempore sensiles satis, irritabilesque? Approbandum omnino videtur hoc generale principium,

---

(p) *Comm. Aphor.* 1324.
(q) Murray *loc. cit. pag.* 202.
(r) Murray *loc. cit.* 191.
(s) *De Opio Sect. I. pag.* 64. *apud* Murrayum *loc. cit.*

quod nempe abstinendum sit a stimulantibus, si de spasmodica, seu convulsiva agatur apoplexia. Ast in medicis generalia principia satis coarctantur: si enim intuitu primo videntur lumen nobis afferre, nos ipsos tamen dubitatione, atque obscuritate obrutos relinquunt, quum ad particularia discutienda descendimus. Videndum igitur est, quibus casibus possint, quibus nequeant aptari ea generalia principia, suique limites statuendi sunt. Quæ quidem omnia præstare unice possunt sedula observatio, atque experientia.

293. Quod vero ad rem pertinet nostram; negari quidem nequit, vesicatoriis inesse extimulantem vim, quæ sæpissime maximos vehit spasmos, et irregulares in eos, qui sensiles valde sunt, atque irritabiles. Quapropter HOFFMANNUS (t) scripsit sequentia: *si corpus acutioris sensus est; si æger a levissima causa movetur, magnasque facile in corpore experitur mutationes, ætas juvenilis, habitus corporis strictior, et macilentus; morbus etiam in paroxismo, et impetu constitutus, vel locus, cui vesicatorium apponi debet, admodum nervosus, longe major motuum exacerbatio cum præsentaneo damno inde expectanda; ea propter ab iis abstineri consultius est.*

294. Sed contra e plerisque constat observationibus (u) cantharides ipsas habere aliquando convulsivos morbos compescere, eosque sanare. Hinc perspicaciores quidam Medici sibi suadent, nervos cantharidum actione diversimmode extimulari, quam ab aliis extimulantibus: ex qua diversa irritandi ratione salutares repetunt, quos

---

(t) *Dissertat. De Vesicator. usu* §. *XIV.*
(u) *Vide inter cæteras. Prima Raccolta di Osservazioni Mediche pag. 113., e segg. del Dottissimo Dottor* Targioni Tozzetti.

in morbis convulsivis aliquando vident, effectus. Conjiciunt enim, cantharides nunquam stimulos excitare irregulares, atque tumultuarios in nervis, quos contra supponunt ab earum actione æquabiliter corroborari, aut saltem ab ipsa eam debilitatem, mollitiemque nervorum imminui, quæ est fomes turbarum, juxta Recentiores, atque irregularitatum, quas in nervorum systemate observamus.

295. Quidquid tamen de hac explicatione sentire velimus; haud equidem eæ negligi possunt observationes, ex quibus deprehendimus, vesicantium actionem aliquando profuisse morbo convulsivo laborantibus. At quum pariter compertum sit, vesicatoria, ut supra innuimus, maximas turbas, irregularitates motuum periculo plenas, spasmosque satis perniciosos in iis sæpe promovere, qui nervis ægrotant; hinc difficile est statuere, quibus, et qua ratione apponendum sit vesicatorium correptis apoplexia, quum vel omnino a nervis, vel saltem pendeat ex parte.

296. Præcipue tamen animadvertendum videtur, quoad hos ægros, eam vesicatoriorum signanter attendendam esse actionem, quam exerunt in partes corporis solidas; spasmodicæ quidem apoplexiæ a solidis, non vero ab humoribus, ferme semper pendere videntur. Hinc juxta solidorum diversam constitutionem, diversos in his vesicantia gignent effectus. Quare si partes solidæ generatim rigescant nimis, distendantur, extimulentur: si nervi præcipue plusquam satis tenelli existant, nimiumque mobiles; a vesicatoriis abstinendum est omnino.

297. Videtur vero, exhibitis primum cæteris tutioribus remediis, et vesicatoria apponi posse ægris, a quorum tum nervis abesse deprehendatur teneritudo illa summa, mobilitasque, tum ab aliis solidis illa nimia rigiditas, atque

distentio, quas modo commemorabamus. Sperandum enim forte esset, quod aucto in nervis quibusdam motu ex vesicatoriis, in aliis autem eo imminuto, tunc irregularitas motuum auferatur, et quoddam veluti æquilibrium exsurgat inter diversas totius systematis partes; sicque tollatur morbus. Novit jamdudum HIPPOCRATES, suborto in duobus membris dolore, stimuloque, alterum ab altero sæpe compesci. Quod vero id observassent Medici aliqui, vesicatorium, ut puto, inter anti-spasmodica recensuerunt remedia (x).

298. Ex hac vero, quam dicam libenter *revulsionem nervosam*, intelligi potest, qua fiat ratione, ut spasmus in membro aliquo excitatus arte, in alio spasmum morbosum, ac perniciosum destruere possit. Neque aliter mihi videtur explicari posse, cur convaleant partes convulsæ, spasmoque locali lacessitæ, adhibitis tempestive extimulantibus. Si enim dolor colicus sæviat convulsivus, non ne evanescit, aliquando vesicatorio, quod ventri apponatur? Addendum est quoque sympathias (quidquid sit de ratione, qua eas explicare conantur) satis innuere salutares hujusmodi nerveas revulsiones dari posse. Ipse Cel. TRALLESIUS, licet sæpe vesicantia improbet ægris, quibus ea probant alii celeberrimi Viri; non tamen in morbis nervorum ea rejicit omnino. In sexta enim regularum, quas ille ad usum vesicatorii rectum in morbis sancivit, ita se se exprimit: (y) *In morbis nervorum a sola ataxia spirituum, ad stylum* SYDENHAMI, *pendentium caute cum*

(x) *Biblioteque Méd. Phys. Du Nord. Tom. I. pag. 31.*

(y) *Loc. cit. Sect. Poster. pag. 5.*

vesicantibus agendum. Itaque procedendum caute commendat, ab ipsis tamen non absterret omnino.

299. Ego quidem fateor me quammaxime abhorrere a vesicatoriis, atque a stimulantibus quibuslibet, siquidem agatur de morbis a sola *ataxia* spirituum: sed quum rerum circumstantiæ id ferre videbantur, aliquando adhibendum duxi hujusmodi remedium, quod et profuisse multum deprehendi. Memoranda præ cæteris videtur quædam D. PORTA, quæ sæpe horrendis artuum convulsionibus erat obnoxia, hystericisque suffocationibus ita validis, diutinisque, ut mortem illi imminere sæpe putarent adstantes. Die quadam vocatus eam inveni hysterico caro, ut ajunt aliqui, detentam: initio quidem expergiscebatur, sed momento temporis: subinde per horas ferme viginti opprimebatur omnino. Post omnimodam quietem aliqua suppeditabam artis auxilia; sed nihil illi proderat. Vesicatoria tandem præcepi, quæ cruri utrique apponerentur; eorum actione convaluit omnino, ac cito.

Quod quidem observavi terve, quaterve in quadam nobilissima Moniali, quæ caro hysterico adeo diutino obnoxia erat, ut plus semel eam metuerem apoplecticam futuram. Aliis Ipsa remediis nihil aliquando adjuta, vesicantium ope convalebat omnino. Liceat tamen hoc loci adnotare, quod nunquam capiti, sed partibus ab eo remotis semper apponenda vesicantia præcepi.

Ex hisce ergo satis constare videtur, non semper, et omnino in nervosa, ac vere convulsiva apoplexia a vesicantibus abstinendum; sed imo ex hoc remedio multum aliquando levaminis esse expectandum, dummodo idonee, atque tempestive adhibeatur.

CAP. XXV.

Curatio Apoplexiæ, quam peculiariter diximus Sensorii Communis.

300. Licet omnis unice nervea apoplexia possit ex spasmo, sive paralysi, sive quacunque alia insensibili *sensorii*, ut ajunt, *communis* læsione inferri; hoc tamen loci dicimus cum BOERHAAVIO apoplexiam præcipue sensorii communis (n. 84.), quæ ab animi commotionibus gignitur: quæ licet aliquando sanguinea quoque sit (n. 85.), aliquando biliosa (n. 150.), tamen haud raro invenitur simpliciter nervosa. At væ illi, qui hujusmodi corripiatur apoplexia. Medicos semper terruerunt vel maxime morbi, quos animi motus, affectusque efficiunt: eos enim fere semper observarunt aut cito, aut sero in mortem desiisse; aut saltem ex his difficillime, et raro homines convaluisse.

301. In apoplexia ab hac causa orta fatendum quidem est, omnia in corpore integra videri aliquando: re tamen vera principium illud extinguitur, quod sentit, movet, *impetum facit*. Id autem animadversione dignum; quod nempe principium illud *impetum faciens* aliquando velut suffocant materiales causæ; quum ex. gr. sanguis coacervatus cerebrum opprimit, sublata tamen hujusmodi compressione principium illud reviviscit, solitasque vires resumit; quod quidem rarius observamus, si agat in illud immaterialis causa; videlicet, ut supra diximus, animi motus, affectionesque. Tunc principium illud enervatum aut quam difficillime reficitur, aut extinguitur penitus; interitusque certus subsequitur. Hinc optime scripsit BOERHAAVI.

US: (z) *Patet ratio, quare Medici in aliis curationibus felices, hic deficiant; quia causa latet in hoc mobili sensorio communi, ita ut harum miseriarum sæpe tantum testes esse possint.* Hoc fatebatur quoque HELMONTIUS dicens: *quando apoplexia oritur a superbia idea, hanc remedia Paracelsica non curant, nam malum est spirituale.*

302. In tanta nihilominus curationis difficultate illud animadvertendum puto, quod nempe violentæ animi commotiones, ut plurimum, in cordis viciniis, sicut vidimus, magnam cogunt sanguinis quantitatem, hinc venæ-sectio, si per circumstantias licebit, haud parvi subsidii aliquando esse poterit. Præterea apoplectico ex validis quibusdam animi perturbationibus juvamen afferre possunt frigidæ ablutiones; habent enim compescere humorum rarefactionem, quæ hisce in casibus solet deprehendi.

CAP. XXVI.

Curàtio Apoplexiæ, quæ ex dolore originem ducat.

303. Quum dolor immanis cerebrum ita afficit, ut apoplexiam gignat, quæ statim haud mortifera sit; curandum est remediis excitantibus, præcipue aceti usu, ut æger velut exanimatus reviviscat. Continuo vero nitendum, ut doloris causa amoveatur.

304. Sed aliquando neque doloris causam Medicus detegere, nec potest removere. Tunc remediis uti oportet, quæ sin minus causam, doloris sensum saltem auferant. Si enim com-

(z) *De Morb. Nerv. Tom. II. pag.* 224.

pressione validissima, aut sectione, aut quovis modo commercium auferatur inter partem dolentem, et cerebrum, permanente doloris causa, ejus sensus perit omnino. Aliquando vero nec præstat, nec potest sive doloris causam, sive commercium illud auferri: tunc reliquum est, ut nitamur facultatem cerebri sentientem narcoticorum usu sopire.

305. Expediet semper spasmum cerebri, ut ajunt, priusquam exoriatur, arcere, Opium exhibendo, quum dolor sævit valde; idque præstabit, licet dolor inflammatorius esset. Hujusmodi vero remedium opportunissimum videtur in dolore intestinorum sive convulsivus ille sit, sive inflammatorius: in hoc tamen consultius erit Opium suppeditare post venæ-sectiones, clysteresque emollientes. Vidimus jam (n. 120.) passionem iliacam vehementem gignere aliquando spasticam apoplexiam: sed ad illam quidem passionem compescendam Opium præcipue requiritur, a quacunque causa ea ortum habeat, maxime vero si simpliciter *spasmodica* sit, quam quidem observavit, et scitissime descripsit præstantissimus CALDANIUS (a). Experientia aliquatenus hæc confirmat HAENIUS (b) asserens in Colica Pictonum *ad præcavendam paralysin, Opio nihil præstantius dari, potentiusque, propter dolorum sopimentum*.

(a) *Societ. Italic. Tom. IV. pag. 311.*
(b) *Rat. Med. Part. III. Cap. II. pag. 103.*

CAP. XXVII.

Curatio Apoplexiæ, quæ oritur ex exinanitione.

306. Ut recte apoplecticis hisce medeamur, exploranda est evacuationis species, quæ apoplexiam fecerit nervorum vires infirmando. Hæc enim si ab hæmorrhagia efficiatur; tunc curandum in primis est, ut hæmorrhagiam compescamus, atque sistamus: subinde odoribus, ac aliquo spiritu æger est excitandus; et, si fieri potest, cibo, potu, somno, ac quiete reficiendus. Sed jam fere cito pereunt hujusmodi apoplectici.

307. Si ergo narium est hæmorrhagia, administranda sunt omnia, quæ hanc sistere solent: sed puerperas præsertim, ut vidimus, hæc adoritur apoplexia. Tunc curandum statim est, ut præter alia auxilia, Obstetrix in ægræ pulmones insufflans cordis nitatur irritabilitatem revocare: eodemque vero tempore hæmorrhagiam quoque sistamus, necesse est. Clariss SAXTORPHIUS (c) novam docet methodum, qua cohibeantur post partum uteri hæmorrhagiæ: innuit nempe aquam aceto permixtam in utero injectandam. Hac quidem repetita injectione sanabantur ægræ, licet ex hæmorrhagia jam frigidæ, quibus arteriæ pulsus, spiritusque deficiebant: sanabantur quoque, quæ ex pervicaci sanguinis fluxu convellebantur, atque deliquiis premebantur. Illud quoque adnotari meretur, quod iis ægris potum prius gelidum suppeditaverant frustra, gelidasque fomentationes.

(c) *Giornale Veneto per servire alla Storia ec. Tom. I. pag. 446.*

308. Verum non debet hoc loci prætermitti aliud potentissimum in hæmorrhagiis gravidarum, ac parturientium sistendis remedium; scilicet Opium, quod in hæmorrhagia nocet, quæ vel ab aucto sanguinis motu, et expansione, vel ab illius putrida dissolutione exoritur: sed juvat quam maxime in hæmorrhagia, quæ vel a spasmo, vel a stimulo nascitur, vel conjunctum dolorem habet: *In fluxu nimio mensium*, Inquit MURRAYUS (d), *vel hæmorrhagia post abortum, quæ in connubio doloris dorsi, vel abdominis non inflammatorio incidit, et revertitur aucta vehementia, quoties vel dolor redit, vel increscit, Opium adstringentibus omnibus est præferendum*; et paullo post subdit, Opio hæmorrhagias uteri feliciter sisti prope finem graviditatis obortas, illasque etiam immodicas, et periculo plenas, quæ partum statim subsequuntur.

309 Videtur insuper, et rationi consonum, quod experientia confirmat; scilicet Opium cum spiritu vitrioli conjunctum majorem adhuc utilitatem afferre in gravidarum, ac parturientium hæmorrhagiis (e). Opium enim turbas compescit; spiritus autem vitrioli impedit, quominus illud humores accendat, ac rarefaciat, motumque augeat circulationis.

Quod ad gravidas vero mulieres, evidens est ad fœtus eductionem deveniendum esse, si hæmorrhagia supradictis resistat artis subsidiis.

310. Quod si apoplexia ortum habuit ab excessivis alvi evacuationibus; tunc nitendum in primis, ut earum impetus retundatur, et quidquid stomachum irritat, atque intestina, vel leniatur valde, vel removeatur: stimulo autem

(d) *Loc. cit. Tom. II. pag.* 224.
(e) *Giornale per servite alla Storia ec. Tom. II. pag.* 309. *et* Murray *Tom. II. pag.* 225.

existente, optimum remedium in Opio invenitur. Subinde naturæ viribus subvenire oportet ope cordialium.

311. Si vero apoplexia oriatur vel ab inedia, vel a mœrore, vel a marasmo senili, vel a quibuslibet dissolventibus, et consumentibus morbis; tunc ægri crura, pedesque calidis fricentur pannis; ejusque olfactus satis validis odoribus excitetur. Siquid vero deglutire queat, vinum exhibeatur, quod satis energicum sit: suppeditentur inde nutrientia, et tonica, quæ tamen non sint irritantia. *Nova hic medela*, inquit Celeber. TISSOTIUS (f), *adhibenda. Crasis humorum, et copia restituenda; motus vitalis languens excitandus; roborantibus itaque, nutrientibus, et sollicita evacuantium evitatione nititur curatio.* At semper fere lethalis est hæc apoplexia, quæ præcavetur magis, quam sanatur, quoniam ultimæ elaborationis liquidum deficiens non adeo cito restituitur, uti se exprimit de hac loquens apoplexia TRALLESIUS (g).

CAP. XXVIII.

Curatio Apoplexiæ, ex acrimonia.

312. Difficillima semper curatu est hujus generis apoplexia, quum suas in ægrum explicuerit vires. Quare prophylactica potius methodo præcavendum est, ne qui acrimonia quacumque ad hanc apoplexiam inclinati sunt, ab ipsa corripiantur: hinc variis morbi causis, ut ajunt, proegumenis aptanda sunt tum remedia, tum ratio præcipue vivendi. *Fateor*, inquit

---

(f) *Epist. var. arg. pag. 88.*
(g) *Loc. cit. Sect. Post. pag. 39.*

SAUVAGESIUS (h), *illas principiorum diversitates in apoplexia actuali curanda parvi esse momenti ob lethalitatem hujus morbi; verum iterum dico ad prævertendam apoplexiam causarum proegumenarum varietas est attendenda.*

313. Quum tamen in hisce apoplecticis materia quædam acris, calida, ac subtilissima videatur nervos occupare, ut inter cæteros adnotavit SENNERTUS (i), et quum solidas corporis partes satis tensas; fluidas vero sulphureis subtilissimis, acribus scatentes particulis adnotet SCARDONA (k); prædiligenda hinc erunt remedia, quæ refrigerent, humectent, sedent; cujus generis sunt clysteria emollientia, hordei decoctiones, lactis serum, et naturalis aqua.

314. Nec tamen negligerem semper, quæ possent remedia a capite dimovere acrem materiem, quæ ibi satis vigens insideret. Ab ipsis imo vesicatoriis multum juvaminis sperandum est, si in nervos dominetur materies, sive exanthematica, sive podagrica, sive rheumatica, aliave hujus generis. Incipiendum tamen est a venæ-sectione, si apoplexia adoriatur ægrum sub morbi arthritici, vel rheumatici initio: si vero morbo invadat progrediente, et ægri fractæ sint vires, a venæ-sectione abstinendum est; et vesicatoria, et balnea irritantia sunt usurpanda. TRALLESIUS idem, (l) ægris hisce probat vesicatoria.

315. Verum quum acrimonia etiam biliosa fere semper in hæc corpora sicca dominetur, illa eliminanda erit, aliqua præmissa venæ-sé-

---

(h) *Nosolog. Class. VI. Ord. V.*
(i) *Lib. III. Part. V. Sect. II. Cap. IV.*
(k) *Loc. cit. Aphor.*
(l) *Loc. cit. Sect. Poster. pag. 6. et Sect. Prior. pag. 260.*

ctione, pthysannis cum tamarindis, cassia, aut manna largo potu exhibitis; acria enim purgantia observatum est nocuisse quam maxime.

CAP. XXIX.

Ratio curandi Paralysim, qua Apoplexiam generatim consequitur.

316. Observamus quotidie, apoplexia vel ingruente, vel declinante varios excitari morbos: et præcipue quidem apoplectici solent evadere hemiplectici: vidi tamen bis hemiplegiam præcessisse per plures dies apoplexiam. Brachia in hoc morbo majorem quam crura semper produnt læsionem, difficilioremque admittunt curationem: pulsus vero in parte paralysi affecta mollior est fere, quam in sana; et aliquando ob arteriæ paralysim pene evanescens. Interdum partes paralyticæ molem suam servant; interdum evadunt aut ædematosæ, aut atrophicæ, aut gangrænosæ: unicuique vero patet, primi generis hemiplegiaco minus esse metuendum.

317. Id autem adnotandum observavi, quod apoplexia aliquando deficit, aut saltem desinit valde, superveniente post tempus aliquod hemiplegia: non secus, atque si crisis fieret. Sed hanc hemiplegiam, ut ita dicam, salutiferam adnotamus præcipue, quum apoplexiam effecerit materies quædam, quæ in nervos subtilis, mobilisque dominetur.

318. Præterea in hemiplecticis alia quoque diversa observantur symptomata, prout cerebri status differt, ægrorumque natura. Aliquorum enim paralysim comitantur dolores capitis, vertigines, aurium tinnitus, hisque similia: aliqui vero hemiplegiaci ventriculo laborant, vesica urinaria, aliisque incommodis juxta diversorum

nervorum læsionem: alii vix ullam patiuntur animi sensationem, alii contra vel summe tristes, vel præter solitum hilares.

319. Paralysis ex apoplexia difficillimæ est curationis; imo semper metuendum, ne ipsa denuo invadat apoplexia. Pervicacior autem est, quæ serosam, sive pituitosam consequitur apoplexiam, quam quæ sanguineam. Major vero spes est curationis quum hemiplegia subsecuta est apoplexiam biliosam; et major adhuc si spasmodica fuit apoplexia, dummodo æger sit non valde senex.

320. Quum itaque sermo hic sit de ea tantum paralysi, quæ apoplexiam consequitur; constat qua medendi methodo apoplexiæ, eadem vires retundi hemiplegiæ: exoriuntur enim iisdem ex causis. At quum apoplexiæ symptomata, ea præcipue, quæ cerebri compressionem significant, defecere, quumque longo tempore debilitatus est æger; methodus curationis aliquando videtur, saltem ex parte, immutanda.

321. Si ergo paralysim fecit apoplexia sanguinea, omnia arcenda sunt, quæ humores ad caput incitant, majorique impetu propellunt. Optima erunt remedia venæ-sectio, copiosa diluentia, ut serum lactis, decoctum graminis cum oxymelle, copiosus aquæ millitæ potus, hisque similia. Si vero stricta sit alvus, optimam ferent opem pulpa Tamarindorum, cremor Tartari, enemata emollientia. Sed præ omnibus tenuissima sit diæta oportet: nunquam vidi hemiplecticum voracem (et plerique extant immodice voraces) diu vitam protraxisse.

322. Quod si paralysis a serosa, vel pituitosa gignatur apoplexia; tunc remedia suppeditanda sunt, quæ validius agant. Hæc autem remedia sunt sapo venetus, extracta saponacea herbarum, salsa perilla, guajacum, sassafras purgantia, diuretica, quæ parca dose iterentur,

vesicatoria, atque setacea. In hac paralysi usum quoque probant mercurii: inter mercurialia vero seligendus videtur mercurius dulcis summam habens vim tenuandi, et evacuandi. Majori autem detecta humorum viscositate Kermes minerale sæpe suppeditavi, nec pœnituit unquam.

Præterea solamen afferunt membrorum frictiones cum aromatibus, ac spiritus vini vapores, quibus partes paralyticæ nudæ exponantur: neque inutile remedium forte erit, si nempe æger membra paralytica in vinacea recentia demergat: intus enim penetrabit efficax ille *gaz*, quo illa redundant; sicque vasa omnia, omnesque fibras excitabit. Diæta vero sit paullo largior ex juniorum animalium carnibus, omnesque abjiciantur cibi, qui serum generant.

323. Verum sedulo vitandum erit quidquid stimulet, si paralysim fecerit apoplexia simpliciter spasmodica, quæ ab una nervorum scilicet mobilitate pendeat, nimiaque sensilitate. Exposuimus supra (n. 62.) clariss. adsistente POMMIO, Marchionem quemdam ex hac hemiplegia convaluisse balneis unice domesticis, parvi pulli gallinacei jure, pluribusque aquæ communis clysteriis. At contra res in pejus ruebant, imminebatque rursus apoplexia, quum ipse remedium sumeret ex valeriana, cinnamomo, et cascarilla. Aufugiendum est ergo semper a stimulantibus.

Laudantur quidem hisce præsertim temporibus arnicæ folia, ejusque flores in paralysi, aliisque spasticis morbis, ac convulsivis. Sed efficax hocce remedium prudenti satis eget administratione. Sensum enim formicationis in artubus, et ventriculi molestissimum ardorem experiebatur quædam ægra, quam ego observabam, post glutitum florum arnicæ infusum. Alii vero vomitum observarunt, anxietatem, dolores

lancinantes, et subinde quasi ab igne electrico succussiones (m).

324. Si vero paralysis orta sit ab apoplexia, quam fecerint substantiæ narcoticæ; tunc imo exhibenda sunt, quæ stimulent, remedia. Quod si apoplexia fuerit ex metastasi materiei herpeticæ (n. 116:), vel rheumaticæ, vel arthriticæ, vel scabiosæ (n. 117.); tunc post balnea tepida, et copiosa diluentia optimus erit usus internus antimonii: addantur quoque decoctiones ex lignis sudoriferis, et tandem vesicatoria, jus viperinum, thermæ, electrizatio.

325. Sed aliquantulum hic immorari præstat ad tria hæc singillatim perpendenda remedia, quæ tum diversas in Medicos opiniones, tum varios invehunt in ægros effectus. Eorum itaque unum est jus viperinum, alterum electrizatio, alterum thermæ. Hæ autem, ut omnes norunt, ægris suppeditant aquas potandas, balnea, stillicidia, et luta; quæ omnia aliquando quammaximam hemiplegiacis afferunt utilitatem. At valde caute procedendum est: in paralysi enim, quæ apoplexiam excipit sanguineam, quum tunc vel plethora adsit, vel saltem ad caput humores facile vergant, semper periculosa admodum sunt balnea thermalia, sæpe noxia omnino.

326. Neque prodesse possunt in paralysi ex apoplexia biliosa, nisi prius ab omnibus sordibus primæ viæ satis expurgatæ sint: nocent imo indubie, si primis viis biliosa adhuc insideat colluvies.

327. Quod si morbum fecerit materies vel rheumatica, vel arthritica, vel retropulsa sca-

(m) Murray *loc. cit. Tom. I. Ord. III. pag.* 133.

bies, vel intermittens male judicata febris (17) tunc a balneis thermarum multum boni sperari potest.

328. Aquarum mineralium balnea utilitatem afferunt quoque hemiplegiacis ex apoplexia serosa, atque pituitosa, dummodo illa frigida

---

(17) *Forte suum extra locum binas hic subdo observationes, quum tantum relata fuerint in præsens a suavissimo Amico, doctissimoque Medico* Alexandro Bonellio: *utraque enim prodit apoplexiam cum paralysi ex febri periodica male judicata.*

Quidam molestabatur ab annis aliquot periodica febri, qua eum solebat quocunque anni tempore haud raro adoriri, et cui sensim conjungebatur acrimonia quædam pseudo-scorbutica. Plus tamen solito ægrum vexavit a vere usque ad autumnum labentem anni 1787. per id temporis vix ope china-china aliquando quiescebat febris, licet adhuc absque ullo dubio intermittens. Accessionem comitabantur dolor lumborum, capitisque, ejusque stupor, aliquando horripilationes, semper vero excessivæ oscitationes; nec æger sitiebat unquam. Declinabat febris, atque evanescebat nulla omnino crisi. Postrema febris, qua eum corripuit mense Novembri haud cessit soli china-china, qua tamen illam vicit cum tartaro emetico conjuncta. Æger sine febri traducebat dies quinquaginta, viribus tamen mentis, corporisque exhaustus; sed de improviso, quin ullum febris indicium adesset, hemiplecticus evasit, subinde post horas paucas apoplecticus cum stertore, faciei pallore, pulsu exiguo, tremore, stimulisque ad vomitum. Post dies decem decessit.

Vir quidam nobilis temperamento ad atrobilarem vergenti præditus quoddam post rheuma corripiebatur febri duplici, ut ajunt, tertiana;

sint. Balnea enim, itemque potus aquarum mineralium, quæ calidæ essent, vires ægri magis attererent, magisque membra relaxerent, et quidem metuendum esset, ne tum cerebri, tum medullæ spinalis substantia serositatibus obrueretur.

---

quæ quidem remittebat saltem, sæpe etiam intermittebat omnino. Sub meridiem adventabat febris, comitantibus dolore sincipitis, oscitationibus violentis, tussique molesta: declinabat illa redeuntibus oscitationibus, quin ulla fieret sudoris crisis, aut urina: clausa imo semper erat alvus, ac pellis satis arida. Lenia exibebantur purgantia, ad quorum actionem febris semper magis invalescebat: china-china autem suppeditata febrim per aliquot dies omnino suspendebat: hisce tamen apyrexiæ diebus Æger mente languebat maxime, et corpore. Redibat febris, quæ ter Cortici denuo cessit. Post febrim postremam, quam cortex suffocavit, stupebat ægro læva coxendix, ac mens eclipsabatur: innovata rursus febri, quæ china-china subinde contumax restitit semper, exoriebatur sensim levis apoplexia, et perfectæ hemiplegia. Post vicissitudines varias de repente evanuit apoplexia, quum in læva nate apparuisset gangræna: post paucas dies Æger moriebatur.

Equidem video fomitem febris periodicæ in hisce ægris eorum acrimoniis commixtum egisse. Fatendum tamen est, generalia nervorum symptomata, ac particularia subsequuta fuisse varias febris sine crisi accessiones: hæc autem, febri cessante, evanescebant: Fomes forte intermittentis febris extimulaverat, explicueratque naturalem acrimoniam; hinc humorum depravatio. Ast actio fomitis febris periodicæ in his observationibus patet satis.

329. Præterea ex stillicidiis, et lutis, apud nos ex Aponensibus præcipue, multum haurient utilitatis hemiplegia correpti. Particulæ enim tenuissimi salis, sulphurisque, quibus lutum scatet, facile poros paralytici membri permeantes materiam percellent fibris coactam, tenuabunt, dissipabuntque; sicque fibræ amissam recuperabunt elasticitatem: thermale autem stillicidium non tantum viribus aget medicatis, sed pondere quoque, et calore.

330. Animadvertendum tamen est, Balnea, luta, et Embrochationes magis, certiusque profutura in paralysi, cujus causa sedem habeat in tela cellulosa, qua omnia nervorum vasa obducuntur; præcipue si nullum cerebro insit vitium, uti observavit inter alios BOERHAAVIUS, adnotavitque HALLERUS (u). Paralyses enim post apoplexiam ferme nunquam sanabiles sunt, nisi cerebro in integrum restituto.

331. Attentissime ergo expendendus est æger, antequam balneo thermali, stillicidio, lutisque subjiciatur: inter cætera autem status præsertim cerebri expendatur necesse est. Qui enim saliva profluente inquinati conspiciuntur, qui pendulum labrum, immotos oculos, dubiosque, stupidosve, qui memoriam notabiliter produnt imminutam, qui tandem aut sensiles sine causa, aut, quum causa sensibilitatis adsit, indifferentes se se offerunt; hi sunt omnino a thermis absterrendi; nisi cerebrum eorum ad sufficientiam convaleat: quod si convaluerit satis, est quoque procedendum caute. Hisce sine ulla dubitatione addendi sunt illi, qui ex quibusdam organicis præcordiorum affectionibus apoplectici, sive hemiplectici evasere. Memores semper esse oportet moniti celeberrim. TIS-

---

(u) *Prælett.* Herman. Boerhaav. *Tom. II.* §. *182.*

SOTII (o) *thermæ*, inquit *paralyticis calore, et stimulo humores rarefaciunt, motum augent; sicque febrem, et plethoram generant; metus est, ne insultum apoplecticum denuo excitent*. Monito tanti viri addi meretur quoque illud MEADII (p), qui ita se exprimit: *ipse quidem novi nonnullos, qui cum varia Medicorum delusi spe ad thermas nostras Bathonienses profecti essent, ex aqua calida egressi, mox iterum apoplexia correpti sunt, et perierunt*.

332. Cerebro tamen satis restituto non est spernenda saltem aliquando, partis paralyticæ topica curatio: sublatis enim, aut saltem imminutis membri movendi resistentiis, solabitur cerebrum; quoniam causa in eo motrix, seu *impetum faciens* facilius aget. Præterea si iteratis observationibus compertum est (q) nervis inesse peculiarem energiam, quæ non a cerebro, sed forte ab aliis causis, et præsertim a vasis potius ortum habet (18); eo magis rationi consonum

---

(o) *Epist. cit. pag. 103.*
(p) *Monit. Med. Cap. II. Sect. II. pag. 39.*
(q) Monrò *Observations on the Structure Nervous System ec.; In Diar. Venet. cit. Tom. III. pag. 14. et seqq.*

---

(18) *Celeberrimus hic Vir nervos circumvestiri putat a Pia Matre, quæ ipsis plurimum substantiæ cinereæ suppeditat. Id autem sibi persuadet tum quia nervi produntur obscuriores, quam pura medullaris substantia; tum quia eo crassiores evadunt, quo ab origine sua magis dimoventur: accedit etiam, quod secto animalis viventis uno ex nervis præcipuis, pars, quæ ab origine sua sejungitur, adhuc vivat nutrita. Observat insuper, de more humores cir-*

erit magisque utilitati consultum inquirere, summaque diligentia perpendere membrorum paralyticorum constitutionem, et qua ratione in vasis eorumdem moveantur humores, iisque topicam adhibere medelam.

333. At quid tandem de thermis dicendum est, quum hemiplegia spasmodicam consequitur apoplexiam? Balneis tantum domesticis huc usque usus ego sum. In his enim paralyticis immanes turbæ quam facillime excitantur ex summa eorum irritabilitate, atque sensilitate: in eos dirus dominatur erethismus; ut probant subsultus, contractiones spasticæ, acutissimique dolores, quibus læsa eorum membra sæpe excruciantur. Id autem confirmatur magis, ex quo contactus vel levis, vel lenis sonitus, odoresque vel mites, licet gratissimi, hujus classis ægros exagitant, divexantque. Quot ergo turbæ, et quantæ excitabuntur in iis tum ex efficaci stillicidii impulsu, tum ex validis salis, sulphurisque vaporibus, quos balnea, et luta thermalia circumquaque diffundunt? Namque ex his haud parum excutiuntur, et qui natura firmissimi sunt. Quapro-

---

cumagi, inflammationem aliquando excitari, vulnera conglutinari, ossa quoque consolidari, in membro, quod ex nervi sectione immotum torpet, et sine sensu: quibus innixus præstantissimus Monrous *rationibus affirmat, energiam illam nerveam, qua ad actionem tenujum vasorum requiritur, nervis suffici et a vasis Pia Matris, quæ nervos circumvestit, et ab substantia cinerea, quam illa gignit. Hanc autem vim in nervos a vasis inductam confirmat pluribus observationibus: imo alia addit argumenta ex quibus infert, propriam quandam inesse nervis existentiam, atque energiam sine cerebri influxu.*

pter paralytici hujusmodi blanda tantum methodo, imo lenissima curandi sunt.

334. Has quidem animadversiones plerique neglexere: hinc factum est, ut nonnulli opinarentur opposita de usu thermarum. Quæ quidem opiniones oppositæ magis confirmabantur ex quo alii pejus, alii melius se haberent, qui a thermis redibant.

Verum quidem est, ægri corpus præparandum, ut thermas utiliter adeat. Hujus tamen præparationis defectus non est semper (ut a quodam summo viro) culpandus, si æger a thermis detrimentum capiat. Non enim unice, quoad corporis præparationem, verum etiam quoad ægri affectiones, atque constitutionem interpretari debemus illud HIPPOCRATIS; *quæ profuerunt, ob rectum usum profuerunt: quæ nocuerunt, ob id, quod non recte usurpata sint, nocuerunt.*

335. His autem disquisitis de thermarum usu, aliqua addere oportet de jure viperino. Hemiplegia, aliaque paralysi correptis probant jus viperinum Medici plerique; quod tamen alii futile quiddam, et iners, alii contra nimis acre, irritans, calefaciensque existimant. BECCARIUS (r), ut aliquid certius statueret, summa cum diligentia, et sagacitate instituit experimenta, ex quibus deprehendit, viperis inesse succum quemdam mitissimum, gelatinosum, tenuissimum, imo et resolventem: nam sero sanguinis humani admixtum, expositusque eo caloris gradui, quo serum in gelatinam cogi solet, hujus congelationem retardat: coagulato tandem hujusmodi sero, adhuc reliquum in eo invenitur quidpiam solutum, aqueumque. Ne-

(r) *Instit. Scient. Bonon. Comment. Tom. II. Part. I. pag. 101.*

que ergo iners, neque inutile penitus est jus viperinum, quod contra aptum deprehenditur, et ad serum viscosum, lentamque lympham leniter dissolvendam, et ad vividam, ut ita dicam, nutritionem præstandam.

Verum sicut energicæ viperarum particulæ diversimode agunt juxta diversitatem ægrorum; ita nequeunt omnibus congruere. Observatum est enim, jus vipereum haud convenireægris, qui vel diathesi phlogistica, vel febre lenta cum calore, vel nimia nervorum mobilitate, spasmisqne vexentur; quibusque sit temperamentum irritabile satis, atque biliosum. Substantia viperarum validius, quam par est, ægros hujusmodi commovet, ac calefacit, ut quotidie observamus; sed hac ipsa ratione innuitur utilis futura hemiplecticis, quibus vires vitales, solidæque corporis partes languescant, lympha vero lenta sit, atque viscosa. Optimum ergo remedium erit in paralysi tantum, quæ apoplexiæ serosæ, vel pituitosæ, vel alicui metastaticæ succedat, uti adnotavimus supra.

336. At difficilius quidem est statuere, quibus suppeditanda, quibus deneganda sit electrisatio; remedium utique aliquibus paralyticis satis utile, aliquibus contra satis metuendum. Observationes eædem, licet multiplicentur in dies, nondum patefaciunt omnino, quibus remedium hujusmodi utilitatem, quibus nocumentum sit adlaturum.

Pro certo quidem constat, electrizationem solidas corporis partes extimulare, fluidas dissolvere, pulsus accelerare, hæmorrhagias promovere, impetuque majori humores in caput impellere; imo et convulsiones excitare, ac paralyses gignere aliquando. Quos quum effectus electricitatis observarent experientissimi Medici, inter quos TISSOTIUS celeberrimus, statuerunt, eos unice ægros electrizandos esse, in qui-

bus circulantium humorum acceleratio, eorumque rarefactio metui nequirent, aut spasmus nervorum.

337. Quæ quum ita sint, sin minus metuere omnino, saltem suspicari debemus ex hoc remedio iis damnum, qui ex apoplexia sanguinea paralytici evasere; nec minus iis, qui, quum paralytici sint ex apoplexia quacunque, vel cerebrum produnt adhuc deordinatum satis, vel spasmum, contracturam, et immodicam membri paralysi affecti, aliorumque sensilitatem.

338. Has vero veluti leges, quæ jure videntur sancitæ, haud satis scrupolose observant Medici plures, qui solent quotidie electrico uti vapore. Omnes quidem in hoc conveniunt, quod nempe electrizatio vel aliquid damni, vel nihil utilitatis adferat iis, qui gravem adhuc produnt cerebri læsionem. At restituto sufficienter cerebro tentandam putant electrizationem: affirmant enim, eas adesse methodos, quibus vel ægro satis efficax suppeditetur electricitas, quæ vehementer stimulet, atque dissolvat, vel mitis ejus actio aptetur, quæ leniter resolvat obstructa, rigentia laxet, irritata sedet. Videtur ideo aliquibus lenis tentanda electrizatio etiam in hemiplegia, quæ veram subsequitur, vel præcedit apoplexiam sanguineam, restituto tamen satis cerebro. At magis audendum in paralysi, quæ a pituitosa, vel serosa exorta sit apoplexia: vis enim efficax electricitatis habebit glutinosos ægri humores attenuare, lentos accelerare, solidasque partes extimulare.

339. Affirmant insuper electrizationem, quæ tamen sit negativa, maximam afferre utilitatem iis quoque, qui post apoplexiam vere spasmodicam hemiplectici evasere, quique spasmis adhuc vexentur, et immodica sensilitate. Viri imo experientissimi, qui diu curativa usi sunt electrizatione, hanc negativam affirmant maxi-

mum ferre levamen iis, quos spasmi lacessunt, atque convulsiones; quod quidem pluribus confirmant observationibus. Nos vero aliqua super electrizatione negativa dicemus infra.

340. Quare quum cerebrum satis convalet; proindeque statutum sit uti electrizatione, duo sunt generatim animadvertenda; quæ quidem multiplici confirmantur experientia: primo scilicet ea tantum electricitatis actio dirigatur in ægrum, quæ nullum ei gignat incommodum: secundo hujusmodi actionibus perseveranter utatur æger idem, qui sæpe solatur, sive convalescit, repetitis tantummodo diu electrizationibus.

341. Huc quoque præstat referre, quod in secundo Volumine Societatis Medicæ Paris. animadvertit Ill. MAUDUITIUS: hoc est fluidum electricum agere præcipue, ut summe aperiens remedium; morbosos inde commovere congestos humores, qui motum in paralysi impediunt, ac sensum minuunt, destruuntve: signanter vero demotos humores expellere sive per transpirationem, sive per salivationem, sive per urinam, atque per alvum. At sæpe fluido electrico, licet energico, desunt vires, quibus crisim perficiat, atque absolvat omnino: hinc metuenda metastasis. Ut eam arceamus (subdit MAUDUITIUS, obsecundanda electricitas est aptis aliis remediis, hoc est evacuantibus; quæ quidem suppeditanda sunt statim, atque desinente paralysi, in motum acti conjiciantur morbifici humores: id autem pro certo innuitur ab urina, quæ turbida sit, et inquinata.

342. Hisc præjactis liceat hic in juniorum Medicorum commodum adnotare, plures electrizandi adesse methodos; eamque seligendam, quam rerum postulabit prospectus. Et primo quidem suppeditatur electricitas, ut ajunt, per balneum; hoc est in balnei speciem. Oneretur vapore conductor electricus: cum ipso communicet æger, qui sit sejunctus ab omni

anelectrico corpore: vapor per omnes artus, imo et per moleculas corporis omnes penetrat, atque coacervatur. Quum vero nequeat, saltem cito, dissipari, in ægro cogitur ita, ut pars tamen aliqua paullatim aere proxime circumstanti diffundatur; adeoque electrizatus velut in balneo electrico immersus est. Tunc electricitas suas in corpus exerit vires: ingrediens nempe, egrediensque oscillationes excitat, quæ tamen lenes sunt; leniter enim in corpus affluit, effluitque. At quum magna electricitatis quantitas per hanc methodum congeratur in corpus, hinc ejus vis repulsiva magis agit, quam communiter existimatur. Ejus autem efficaciam ad sanitatem restituendam observationum probat multitudo.

Hæc vero electrizandi methodus aliis videtur, ut plurimum, anteferenda; maxime ex quo explorantur per ipsam ægri natura, viresque; ac potest conjici, qui tandem effectus sint per electrizationem futuri. Primis tamen curæ diebus tutius erit ægrum electrizare per horæ quadrantem tum mane, tum vespere; progressu augeri poterit electrizationis tempus pro rerum circumstantiis.

343. Si vero is æger sit, cui magis conveniat oscillationum excitatio, quam actio vis repulsivæ; tunc administrari potest electricitas, excitata leni quadam aura; hoc est, ut ajunt, per ventum. Id effici variimode potest: et primo quidem quis, cum tellure communicans, certa quadam distantia metallicam tabulam, ex qua promineant ferreæ cuspides, objiciat membro paralysi affecto ægri ab anelectricis sejuncti, conjunctique electrico conductori: ab ægri superficie, quæ illi tabulæ respondet, in ipsam influet vapor elecrricus lenem excitans veluti ventum; exinde vero in terram permeat. Si contra a viro, qui ab anelectricis semotus cum conductore communicet, exhibeatur tabula eadem

ægro, qui solo stet: tunc vapor electricus eumdem, quem supra ventum efficiens in membrum invehitur ægri, et ab ipso in terram diffunditur. Sed de hac methodo satis.

344. Ast ut membris paralysi affectis restituatur sensus, motusque, videtur utilior methodus, ut ajunt, scintillarum. Namque ex membro affecto ægri, qui sit vapore oneratus electrico, exhauriuntur ignitæ scintillæ, si ipsi justa distantia admoveatur excitator, sive globulus metallicus inhærens virgæ metallicæ, quam manu quis terræ communicans teneat. Quod si ægrum nimis sensilem notabili afficiant molestia scintillæ; membrum paralysi affectum obducatur lamina plumbea, sive, ut libet MAUDUITIO Clariss., panno laneo, qui carni adhæreat penitus: tunc super lamina, sive panno discurrat excitator, qui plures, lenesque scintillas exhauriet, lenique velut calore fovebitur membrum. Auctor citatus pluries se usum perutiliter fuisse hac methodo affirmat (s).

345. Majores tandem vires exercet vapor electricus, qui ex phyala Leydensi deducatur, vel ex quadrato magico: tunc enim alios præter effectus, artus concutit, commovetque. Licet autem Medici haud sæpe usi sint hac methodo, constat tamen multiplici experientia, concussiones hujusmodi electricas, prudenter adhibitas, satis ægris plerisque profuisse. Perpensa sedulo tum ægri, tum morbi natura, Medicus pro indigentia limitare potest locum, et efficaciam electricæ concussionis. Pars enim corporis quælibet commoveri potest, intacto reliquo corpore; præterea, ut et per alias methodos, sic et per concussionem suppeditari ele-

---

(s) *Memoir. sur les differentes manieres d' administrer l' electricitè pag. 80.*

ctricitas poest ea mensura, quæ rerum prospectui apposita putetur.

346. Hoc quoque addendum puto pro iis, qui sunt mobiles, atque sensiles nimis: insideant ipsi telluri, et horum pars electrizanda vel sub conductore statuatur, vel sub catenula, quæ ab conductore pendeat: tunc electricitas in ipsos aget unice inter permeandum. Nam vapor in hos ægros immissus, ex ipsis continue in terram influet, quin ejus ulla fiat congeries. Hæc autem eadem electrizatio augeri poterit, ac minui juxta diversam tum corporis distantiam ab conductore, tum vaporis mensuràm, qui in conductorem devehatur.

347. Hæc autem omnia dicebamus de positiva electrizatione; aliquid nunc addendum de negativa, cujus existentia multis evincitur observationibus, indubiisque. Dicimus hominem positive electrizatum, quum ante in ipsum invecta est electricitas major, quam sua naturalis exigat constitutio: negative electrizatum eum vocamus, cujus naturalis electricitas arte imminuatur. Innuimus supra methodos eas, quibus positive quis potest electrizari; iisdem constat electrizari hominem posse negative; si negativa utamur machina. Adsunt enim multiformes tum positivæ, tum negativæ machinæ, ut videre est apud auctores: sed et possumus machinam solitam adhibere, dummodo ab anelectricis eam machinæ partem sejungamus, quæ conductori vaporem suppeditat; eique parti conjungatur electrizandus negative, dum ab anelectricis, et ipse semotus sit.

348. Verum quidem est electricitatem quoque hujusmodi negativam agere in corpus humanum tanquam remedium aperiens, oscillationesque excitans; ideoque, siquid ego video, in paralysi apoplexiam sanguineam excipiente vel semper metuendam, vel saltem maxima cum

cautione esse administrandam: de materiali enim se habet ad eosdem, saltem ex parte effectus præstandos, quod vapor quamvelocissime se movens in corpus influat, sive effluat ex ipso. Sed peculiares quoque electrizationis negativæ utilitates affirmant plures experientissimi Viri, quas ut exponamus, aliqua sunt prænotanda.

Et primo quidem, pars substantiæ corpus humanum componentis idioelectrica est; scilicet natura sua cohibet in se vaporem electricum, cujus particulæ particulis ejus substantiæ immiscentur, assimilanturque ita, ut difficilius sejungantur: hunc autem vaporem *fixum* dicunt. Pars vero substantiæ humanum corpus componentis anelectrica est: nempe ad instar vasis recipit vaporem electricum, qui in ipsam incurrat, eam rursus relicturus, si deficiente generali electricitatis æquilibrio, in aliud corpus aditum pateat: et hunc vaporem *liberum* vocant.

Quum ergo quis electrizatur positive, oneratur ipse novo vapore libero, cujus pars, uti plerique conjiciunt, assimilatur substantiis idioelectricis hominis; nec ab ipsis avolat, ut vapor liber, quum homo idem iterum conjungitur cum anelectricis corporibus. Contra, quum quis electrizatur negative, expoliatur ipse, saltem ex parte tum vapore libero, tum quoque portione aliqua vaporis fixi, ut asserit cum aliis BERTHOLONUS; quæ quidem portio fixi, ut portio liberi, haud redit in corpus humanum statim, atque communicet iterum cum anelectricis. Quare, inquiunt, præter communes utriusque electrizationis effectus; peculiaris effectus est positivæ augere, negativæ imminuere electricitatem corporis humani naturalem. At quidquid BERTHOLONUS conjectet, aliique ut vim explicent electricitatis negativæ; me quidem illud præcipue commovet, quod in seme-

tipso observabat LICTHEMBERGIUS (t): quod nempe illæsus electrizabatur positive per horas aliquot; at contra negative vix electrizatus angustiis vexabatur, vertiginibusque.

349. Quum itaque plures opinentur nimiam irritabilitatem, nimiamque sensilitatem, ac inde partium spasticam contracturam, atque convulsiones a nimia electricitate pendere; ideo contra hæc vitia affirmant summum esse remedium electrizationem negativam, quæ aptissima est ad nimiam electricitatem naturalem imminuendam. Asserunt enim (u) plures se observasse eorum tantum mortuorum, qui dum viverent, convulsionibus obnoxii erant, nervos excessive saturatos electricitate. Affirmant insuper hujusmodi electrizationis theoriam apprime cohærere experientiæ: quamplures enim spasmis, et convulsionibus affectos ad salutem integram negativa electrizatione restitutos fuisse testantur. Et revera, inquiunt, in spasmodicis morbis, atque convulsivis, saltem sæpius, calida nocent remedia, et phlogistica; juvant contra refrigerantia, et antiphologistica: at quid magis antiphologisticum, quam negativa electrizatio, dum per hanc verus detrahitur humano corpore electricus ignis? Negativa ergo electrizatio videtur satis profutura hemiplecticis ex apoplexia convulsiva, qui spasticis contractionibus, convulsionibus, atque immodica sensilitate vexantur.

350. Ast erit utilior tum positiva, tum negativa electrizatio, siquidem Medici utramque juvent victu, vestitu, aliisque idoneis remediis pro rerum exigentia.

(t) *Biblioteque Du Nord. Tom. II. pag.* 339.

(u) Bertholon *De L' electricité du Corps Humain Tom. I. pag.* 335.

Hæc erant, quæ veluti attingere putavi super electricitate. Quumque in dies augeatur utilitas, quam ex electricitate deprehendunt Medici plerique clarissimi; id satis videtur cupiendum, quod hæc omnia generatim apud nos probe noscantur. Sunt enim inter nos, ut olim inter exteros, qui medicam electrizationem parvipendunt, ac velut inutilem experti sunt aliquando. Hisce tamen permotus nemo, ut auguror, efficax negligat remedium: si enim Medici, certa quadam constantia, suos compellant ægros ad Machinam electricam, et, quantum Medicum deceat, diligenter omnia perpendant, eo forte deveniemus, ut certius statui possit, quibus ægris, quibusque modis futura sit utilis, sive inutilis, sive nocens electrizatio: nostris hinc ægris quammaximum forte emolumentum, quod ab omnibus mecum cupiendum est.

FINIS.

INDEX
CAPITUM.

CAP. I. De Apoplexia in genere Pag. 1
CAP. II. Apoplexiæ sanguineæ indicia, ejusque causæ aliquæ: additur quoque de apoplexia ex sanguinis dissolutione, fluidique elastici extricatione. 8
CAP. III. Indicia Apoplexiæ serosæ, sive lymphaticæ. 30
CAP. IV. De Apoplexia convulsiva, sive nervea. 32
CAP. V. De Signis Apoplexiæ nerveæ. 35
CAP. VI. In quo discriminentur Apoplexia Nervea præsertim mere convulsiva, Suffocatio hysterica, et Epilepsia. 50
CAP. VII. Apoplexiæ Nerveæ Divisio in idiopathicam, et in sympathicam. 54
CAP. VIII Causæ exponuntur Apoplexiæ Nerveæ, præsertim idiopathicæ. 56
De Apoplexia ex vaporibus Mephiticis. 71
CAP. IX. De Apoplexia, quæ ex acrimonia oritur aliquando. 76
CAP. X. De Apoplexia, quæ oritur ex dolore quascunque corporis partes occupante. 76
CAP. XI. De Apoplexia, quæ oritur ex exinanitione. 81
CAP. XII. De Apoplexia Nervea simpathica, sive consensuali. 85
CAP. XIII. De Apoplexia signanter Biliosa, quæ inter Sympathicas frequentior observatur. 95
De Apoplexia ex febri intermittenti. 108

CAP. XIV. De Apoplexia Sympathica ex causis pectori insidentibus. 110
CAP. XV. Prognosis. 115
CAP. XVI. De Curatione Apoplexiæ sanguineæ. 118
CAP. XVII. De Curatione Apoplexiæ serosæ. 131
CAP. XVIII. Ratio curandi Apoplexiam Nerveam Sympathicam, sive Consensualem, et primo quidem Biliosam, sive Saburralem. 135
CAP. XIX. Ratio curandi Apoplexiam a febri intermittente exortam. 148
CAP. XX. Ratio curandi Apoplexiam ex hypochondriasi, atque ex difficultate tum fluxus menstrui, tum hæmorrhoidalis, et etiam ex podagra abdominalibus nervis insidente. 152
CAP. XXI. Ratio curandi apoplexiam ex venenis per os sumptis, fungis, Opio, aliisque similibus. 155
CAP. XXII. Ratio curandi Apoplexiam, quam faciunt vapores Mephitici. 159
CAP. XXIII. Ratio medendi Apoplexiæ, quæ ex pectore male affecto exoriatur. 163
CAP. XXIV. Ratio medendi Apoplexiæ Nerveæ idiopathicæ, et primo illi, quæ a summa præcipue nervorum sensilitate, ac mobilitate exoritur. 164
CAP. XXV. Curatio Apoplexiæ, quam peculiariter diximus Sensorii Communis. 171
CAP. XXVI. Curatio Apoplexiæ, quæ ex dolore originem ducat. 172
CAP. XXVII. Curatio Apoplexiæ, quæ oritur ex exinanitione. 174
CAP. XXVIII. Curatio Apoplexiæ ex acrimonia. 176
CAP. XXIX. Ratio curandi paralysim, quæ Apoplexiam generatim consequitur. 178